[HOMILIAE IN EZECHIELEM.]

ADMONITIO IN SEQUENTES HOMILIARUM LIBROS

1169 I. Post expositionem sancti Gregorii in librum Job, servato sanctarum Scripturarum ordine, sequi debent ejusdem sancti Doctoris Homiliae in Ezechielem prophetam, quas licet afflictus morbis, negotiisque difficillimis pene immersus, ac innumeris vexatus curis, ad populum habuit. Luctuosam tum Urbis ac totius Italiae faciem ipse depingit homilia 6 libri secundi, quae olim 18 inscribebatur: *Ubique,* inquit, *luctus aspicimus Ubique gemitus audivimus. Destructae urbes, eversa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est . . . . . Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus.* Caetera omittimus quibus Romae, Romani agri, totiusque Italiae calamitates luget. Non absimilia leguntur in Praefatione libri II, ac praesertim in fine homiliae ultimae. *Undique,* inquit, *gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii captivi, alii interempti ad nos nuntiantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere.* Haec nostri Gregorii Scripturam sacram interpretandi otia, inter tot et maxima quidem negotia miratus Bernardus, ad Eugenium summum pontificem ita scribit: *Obsidio urbis et barbaricus ensis civium cervicibus imminebat. Nunquid tamen istud terruit beatum papam Gregorium quominus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe temporis* (quod ex ejusdem

praefatione liquet) *obscurissimam et extremam partem Ezechielis tam diligenter quam eleganter exposuit* **(Lib. I de Consid., cap. 9)**.

II. Sane difficillimam prophetiae hujus explanandae provinciam deprecari coactus est olim Hieronymus, ob nuntiatam sibi Romanae urbis obsidionem. *Postquam,* inquit, *clarissimum terrarum omnium lumen exstinctum est, imo imperii Romani truncatum caput, et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui et humiliatus sum, et silui de bonis (Epist. ad Eustoch., quae commentar. in Ezech. praemittitur*). Aliam laboris hujus declinandi causam affert Hieronymus, nimirum intelligendi et explanandi difficultatem, *quam,* inquit, *Hebraeorum probat traditio; nam nisi quis apud eos aetatem sacerdotatis ministerii, id est tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum canticorum, nec hujus voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat.*

III. Verum ut tam arduum opus feliciter exsequeretur noster Gregorius, praesentissimum numen expertus est. Cum enim ultimam Ezechielis prophetae visionem interpretaretur, Petrus diaconus, quo exceptore ac notario utebatur, vidit Spiritum sanctum, sub columbae candidae specie, ipsius capiti insidentem, et rostrum ori immittentem, ex quo altissima mysteria edisceret, ac veluti ebiberet, ut refert Paulus Diaconus in ipsius Vita prope finem, confirmatque Joannes Diac., l. IV, cap. 69 et 70.

Neque vero mirum videri debet Gregorio tam singulariter adfuisse Spiritum sanctum, eo potissimum tempore quo majora edidit humilitatis argumenta, quando, Isaia teste **(Isai. LXVI, 2)**, didicimus Dei Spiritum humilium esse consolatorem et inhabitatorem. Sanctissimum Doctorem audiamus homil. undecima, num. 5, amarissimis lacrymis vel leviora piacula deflentem: *O quam dura sunt ista quae loquor, quia memetipsum loquendo ferio. Cujus neque lingua, ut dignum est, praedicationem tenet, neque in quantum tenere sufficit vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis saepe implicor, et ab exhortatione atque aedificatione proximorum torpens et negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus et verbosus. Mutus in necessariis, verbosus in otiosis.* Reliqua missa facimus, quae stupendam in tanto viro animi demissionem prae se ferunt. Et quasi humili huic confessioni nonnihil deesset, inferius adhuc ita se reum pronuntiat **(Num. 26)**: *sed interim dum loquor, avertere a memetipso oculos volo; et ecce iterum sermo divinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam videam, et mihi dici haec quae audio pertimescam. Sicut enim superius dixi, cujus cor in curis innumeris exsparsum se ad se colligat?* etc.

IV. Ut immensis laudibus digna videtur sanctissimi pastoris, tot curis, tot incommodis obsistentibus, assiduitas in concionando, ita non mediocres meretur populi Romani ad Gregorium audiendum flagrans studium, et divini verbi fames inexplebilis. Romanis enim postulantibus **1170** Gregorius Ezechielis expositionem suscepit, quod ipse in praefatione ad librum secundum docet, confirmatque Joannes Diac., l. IV, c. 76.

V. Cum imminente Urbis obsidione incoeptae legantur illae de quibus praefamur homiliae, et Agilulpho Langobardorum rege jam muros cingente absolutae, vel potius interruptae, quaerendum nobis est quo tempore Roma obsessionem hanc passa sit. Referri quidem solet ad an. 595. At ad annum 592 potius pertinere in Vita sancti Gregorii, l. II, cap. 4, pene certis et indubitatis argumentis ostendimus.

VI. De homiliarum istarum numero nulla est controversia; duae etenim supra viginti reperiuntur in libris tam manu exaratis quam editis; at modus eas numerandi non est idem. Nimirum in Excusis eodem modo computantur, ac si ad unum eumdemque librum pertinerent omnes, ita ut quae prior est secundi libri dicatur in Vulgatis decima tertia. Secus autem in manuscriptis Codicibus, qui post duodecimam prioris libri, eam quae praefationem libri posterioris proxime sequitur, primam appellant, et sic deinceps usque ad decimam. Quibus morem gerendum duximus. Alteram tamen numerandi rationem iniit Joannes Diac., qui lib. IV, cap. 66, homiliam octavam decimam vocat, quam nos cum Mss. libris sextam secundi libri dicimus. Verum de his quae levioris et prope nullius momenti videntur monuisse tantum sufficiat.

VII. Quod spectat ad dicendi ac scribendi rationem, quam observavit hic sanctus Doctor, ut eam accuratiorem ac venustiorem esse non contendimus, ita velut humiliorem et depressiorem ipsam contemni non sinimus. In his sane concionibus constat Gregorium rerum magis sensusque curam, quam verborum delectum habuisse. Quamvis vero litteralem sensum tanquam caeterorum fundamentum prius statuere conetur, mysticis tamen rimandis et moralibus explicandis in primis incumbit. Prima homilia caeteris

praemittitur ut prologus, in quo Gregorius multa de prophetis prophetiaeque Spiritu docet scitu digna et necessaria. Qui plura circa hoc argumentum requirit, adeat alios ex sanctis Patribus qui prophetas explicandos susceperunt, maxime vero legat Epiphanium, qui initio libri de Ponderibus et Mensuris fuse prosequitur quot sint in prophetis orationum genera, et haec assignat: doctrinam, contemplationem, cohortationem, minas, commiserationem, lamentationem, preces, historicam narrationem, praedictionem.

VIII. Caeterum in toto hoc opere Gregorius prudenter quidem Hieronymum consuluit Ezechielis prophetiam interpretantem, sed non serviliter secutus est. Imo vero eumdem (dissimulato tamen honoris causa ejus nomine) aliquando refellit; cujus modestiam et in Hieronymum reverentiam utinam imitarentur ex recentioribus scriptoribus nonnulli, qui tam libere eruditissimi Scripturarum sacrarum interpretis doctrinae obloquuntur! Quorum audaciori calamo liceat hoc opponere doctissimi Sulpicii Severi ejus coaevi testimonium dialogi 1, cap. 4. *Hieronymus,* inquit, *vir erat praeter fidei meritum dotemque virtutum, non solum Latinis atque Graecis, sed et Hebraeis etiam ita litteris institutus, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare.*

IX. Quid autem nobis haec novissima Editio debeat jam commemorandum. 1. Prolixiores Ezechielis textus, qui singulis homiliis, si priorem excipias, praemittuntur in Excusis, non autem in manu exaratis, resecuimus; at singulos versus ut successive proponuntur a sancto Doctore explicandi, lineis distinctis excudi curavimus, ad mss. Codicum similitudinem propius accedentes, in quibus aut majoribus characteribus, aut etiam minio vel alio exquisito colore

depictis describuntur. 2. Praedictas homilias quae prius veluti uno ac continuato spiritu legebantur, nullis ad pausandum assignatis clausulis, in varias sectiones, additis totidem numeris, partiti sumus. Notis infra et ad calcem rejectis, si quid obscurius occurrerit quod explicatione indiguerit, exponere curavimus; ubi etiam variantes lectiones exhibuimus, et si qua in textu nonnullius momenti mutatio facta fuerit (contigit autem id saepissime) Codices mss. quibus ad emendationem faciendam usi sumus indicavimus. Locos omnes a nobis sanatos aut restitutos enumerare longius foret; paucos tamen ex prioribus homiliis designabimus, ut ex iis intelligatur novae Editionis non modo utilitas sed necessitas. Lib. I, hom. 2, n. 17, *de quo mox,* etc.; hom. 3, n. 5, *non tenuiter amatur.* Et n. 18, *cum pes mentis,* etc.; hom. 4, n. 3, *et si simul,* etc.; hom. 5, n. 2, *vitae mortalis,* etc. Et n. 7, *Verbum itinerantibus,* etc.; hom. 6, n. 8, *quid ergo mentes auditorum,* etc. Et n. 13, *ligno autem,* etc. Item n. 18, *et humus ejus,* etc., ubi Editi habent *et fumus ejus.* Ibid., Gussanv., *in pice ardentem,* pro *in picem ardentem.* Denique, n. 19, *terribilis quaedam.* Quem locum Editores omnes corruperant legendo *terribilis quidem.* Multas similes Editorum corruptelas dissimulamus, ut ad insignem veniamus, quae exstat hom. 8, n. 24, in qua sane fides de Christi divinitate periclitatur, ut ex nota ad hunc locum palam fiet. Ex reliquis **1171** prioris libri homiliis nihil amplius carpemus. Imo ex altero libro unicum locum notabimus, nimirum ex hom. 1, olim 13, n. 3, *et lunam sanctam Ecclesiam;* ubi apud Gussanv., *et unam sanctam Ecclesiam.* Ex his paucis quantum caetera medela indigerent facile intelligitur; eam autem attulerunt mss. Codices quos hic enumerabimus.

X. Et primum quidem commemorandus est vetustissimus Codex Corbeiensis nunc bibliothecae sancti Germani a Pratis, notatus 161, litteris Merovingiis descriptus, qui Caroli Magni, imo etiam Pipini regis aetatem superare creditur, quod eorum temporibus hi veteres characteres Romanis cessissent. Continet hic Codex priorem homiliarum librum. *C. Germanensis* nomine designabitur, ad discrimen alterius Corbeiensis Cod. antiquissimi, et duorum aliorum Germanensium, quibus Codicibus 2, 3, et 4, locum cum Mss. assignamus.

Quintus est insignis Ecclesiae Laudunensis, antiquitate praestantissimus, continens librum secundum tantum.

Sextus locus debetur Gemeticensi septingentorum annorum, qui duos libros ex integro complectitur.

Circa undecimum saeculum, aut ineunte saltem duodecimo exarati creduntur liber Ebroicensis Ecclesiae, Uticensis, seu monasterii sancti Ebrulphi; Sagiensis, scilicet monasterii sancti Martini, Beccensis, Lyranus, et Rothomagensis monasterii beatae Mariae de bono nuntio; quibus in membranis exstant homiliae omnes laudatae, si pauca folia excipias aut abrasa aut avulsa ab exemplari Rothom. Hi omnes Codices parum ab invicem discrepant. Uticensis plurimas non raro lectiones suppeditat, aut eadem manu, aut diversa sed antiqua descriptas.

Ex bibliotheca celebris monasterii sancti Joannis apud Augustam Suessionum utendum accepimus optimae notae Codicem, ad quem etiam omnes homilias illas recognovimus,

necnon ad duos alios, alterum Longipontis, ord. Cisterc., alterum Vallis Clarae ejusdem ordinis.

Anglicanorum denique Codicum discrepantes lectiones mutuo accepimus a Thoma Jamesio, qui eas publici juris fecit cum caeteris ad Gregoriana opera spectantibus, ut jam admonuimus. *In conferendo Ezechiele,* inquit Jamesius, *quatuor mss. Codices mihi adjumento fuerunt,* quos postea enumerat, scilicet duos ex bibliotheca collegii Mertonensis, unum ex bibliotheca Boldeiana, et alterum ex bibliotheca collegii Balliolensis.

Praeter tot Codicum collationes, adhibuimus etiam veterum Editionum Parisiensis 1502 et alterius 1518, Gilotianae, Vaticanae, denique novissimae Gussanvillaeanae subsidium.

XI. In Codicibus Suessionensi, Laudunensi et Longipontano, occurrerunt plurima ad homiliam 9 secundi libri, olim 21, pertinentia; quae cum nec in Editis ullis, nec in aliis Mss. saltem nobis notis legantur, inserere textui religio fuit. Quia tamen a phrasi Gregoriana non abhorrent, ea hic consignanda duximus; neque enim in brevissimis notis ad columnarum calcem attextis contineri facile potuissent.

Num. 1 laudatae hom., ad haec verba: *Nunc ergo cum duae mensae describuntur,* additus in memoratis Codicibus: *Et rursus in exteriore vestibulo quatuor mensae esse perhibentur, aperte jam circa interiorem portam duo vestibula esse memorantur; inter quae, ut diximus, porta Aquilonis interior staret. Porta itaque interior in interiori vestibulo binas per latera mensas habere descripta est, atque in exteriori similiter binas. Quatuor autem hinc et quatuor*

inde mensae octo pariter fiunt, dum per latera singula binae in vestibulo interiori et binae hinc et inde in exteriori esse describuntur. His itaque, etc., usque ad *ignorantia non angustat,* ubi desinit num. 1, sicut in Editis, quibus haec adduntur in Mss.: *Dum enim una porta, id est interior, inter duo vestibula esse describitur, tacite etiam porta exterior ad mentem reducitur, intra quam vestibulum ante portam interiorem esse perhibetur. Non jam ergo nobis de una, sed de utraque tractandum est. Possunt,* etc. Ab his verbis num. 4, *quae pergit ad Aquilonem,* haec habent Codd. mss.: *Dum enim ascensum nominat, portam Aquilonis interiorem designat, per quam sanctam Ecclesiam ac testamentum novum praediximus figurari; quae habuit latus exterius Synagogam, ex qua in Deo et Domino nostro Jesu Christo fides inchoavit. Et vere intelligentiae ostium in sancta Ecclesia fidelis populus invenit, quae ad Aquilonem pergere dicitur, quia multitudinem credentium de torpore frigoris et iniquitatis ex gentilitate colligit. Habet ergo porta interior latus exterius, id est sancta Ecclesia Synagogam; habet ostium, id est coelestis regni intelligentiam; et pergit ad Aquilonem, quia peccatores quosque non despicit, sed eos recipiendo ad poenitentiam misericorditer attendit. Dicatur autem quatuor mensae hinc, et quatuor mensae inde per latera portae; dum enim fides et vita,* **1172** *patientia atque benignitas in interiori intellectu custoditur, porta nostra quatuor in interiori vestibulo mensas habet, in qua dum ex priori parte prioris temporis doctrinam legis et prophetias aspicimus, atque in carnali populo circumcisionis et sacrificii, quae fuerint ligamenta pensamus, mensae quoque quatuor, quasi ex alio latere forinsecus in vestibulo monstrantur. Quae,* etc., ut in Editis.

In Cod. Longipont. post haec verba, *misericorditer attendit,* sequitur: *Dicatur recte,* quae pergit ad Aquilonem. *In exteriori enim custodia litterae lex data tenebatur. Ostium vero portae est ipse historicus intellectus legis, qui ad Domini timorem ducit. Quae porta ad Aquilonem pergere dicitur, quia lex eadem sub timore minarum frigida Judaici populi corda constrinxit, quasi enim per calorem ille populus curreret, si praecepta dominica ex amore servasset; sed quia sub timore mortis propositae litteram custodivit, quasi in torpore frigoris remansit; inde novis populis aeterna praemia amantibus, non autem temporalia tormenta timentibus, atque jam calentibus dicitur:* Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus, Abba pater. *Dicatur autem:* Quatuor mensae hinc, etc.

Haec sane vel Gregoriana sunt, vel Gregorianis simillima. Prioris contextus, *et rursus,* etc., omittendi aliis in Codicibus manu exaratis occasionem praebuit, ut conjicere licet, verbum *describuntur,* immediate antecedens, et bis paucas intra lineas repetitum. Praetermisso enim primo *describuntur,* cum caeteris quae sequuntur, amanuensis ad secundum incaute oculos deflexit, et ad inferiora, non ad superiora. Plura praefari veremur, ne tempus evolvendo et assidue consulendo Gregorio utilius impendendum in legendis nostris scriptiunculis frustra teratur.

SANCTI GREGORII MAGNI ROMANI PONTIFICIS HOMILIARUM IN EZECHIELEM PROPHETAM LIBRI DUO . **(C)**

LIBER PRIMUS.

1173 Praefatio.

Dilectissimo fratri, Mariano episcopo, Gregorius episcopus servus servorum Dei.

Homilias quae in beatum Ezechielem prophetam, ita ut coram populo loquebar, exceptae sunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed post annos octo, petentibus fratribus, notariorum schedas requirere studui, easque, favente Domino transcurrens, inquantum **1174** ab angustiis tribulationum licuit emendavi. Tua itaque dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat, sed valde incongruum credidi ut aquam despicabilem hauriret quem constat de beatorum Patrum Ambrosii atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assidue bibere. Sed rursum dum cogito quod saepe inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, transmisi minima legenti potiora, ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas avidius redeatur.

HOMILIA PRIMA. *Prophetam expositurus sanctus Doctor de prophetiae temporibus et modis praefatur.*

1. Dei omnipotentis aspiratione de Ezechiele propheta locuturus, prius debeo tempora et modos aperire prophetiae, ut dum accessus ejus ostenditur, virtus melius cognoscatur. Prophetiae tempora tria sunt, scilicet praeteritum, praesens et futurum. Sed sciendum est quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit. Quia cum ideo prophetia dicta sit quod futura praedicat, quando de praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit **1175** quod venturum est, sed vel ea memorat quae transacta sunt, vel ea quae sunt. Quae tamen tria prophetiae tempora verius loquimur, si ex sacrae Scripturae testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* **(Isai. VII, 14)**. Prophetia de praeterito: *In principio creavit Deus coelum et terram* **(Genes. I, 1)**. De illo enim tempore dixit homo quo non erat homo. Prophetia de praesenti est, quando Paulus apostolus dicit: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta enim cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit* **(I Cor. XIV, 24)**. Cum igitur dicitur: *Occulta cordis ejus manifesta fiunt,* profecto monstratur quia per hunc modum prophetiae spiritus non praedicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiae dicatur spiritus, qui nihil futurum indicat, sed praesens narrat? Qua in re animadvertendum est

quod recte prophetia dicitur, non quia praedicit ventura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet, sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in praesenti subtrahit causa. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore, praesens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia praesens cum res quaelibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quae tamen per spiritum denudatur. Et ibi fit praesens prophetantis animus, ubi per praesentiam non est corpus. Nam Giezi longe a propheta recesserat cum Naaman Syri munera percipiebat, cui tamen idem Propheta dicit: *Nonne cor meum in praesenti erat quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi* **(IV Reg. V, 26)**?

2. Sciendum quoque est quia prophetiae tempora invicem sibi concinunt ad probationem, ut aliquando ex futuris praeterita, aliquando vero ex praeteritis probentur futura. Dixerat enim Moyses: *In principio creavit Deus coelum et terram* **(Genes. I, 1)**. Sed quis crederet quia verum de praeterito diceret, si de futuro etiam aliquid non dixisset? In ipsius etenim libri fine, in cujus exordio illa de praeterito dixerat, aliquid prophetiae per Jacob vocem de venturis permiscuit, dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* **(Genes. XLIX, 10)**. Qui etiam per semetipsum eumdem qui mittendus erat ei quem ducebat populo prophetavit, dicens: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Erit autem, quicunque non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo* **(Deut. XVIII, 15)**. Cur ergo praeteritis ventura permiscuit, nisi ut, dum implerentur ea

quae de futuro praediceret, ostenderet etiam quia de praeterito vera dixisset?

3. Quia itaque docuimus qualiter ex futurorum prophetia probentur praeterita, restat nunc ut adhuc de sacris eloquiis ostendamus quomodo in ipso prophetiae spiritu ex praeteritis probentur futura. Certe rex Babylonicus, cum somnium vidisset **(Dan. II, 2)**, misit ad magos et ariolos, omnesque sapientes Babyloniae convocavit, nec ab eis solummodo interpretationem somnii, sed etiam somnium **1176** quaesivit, ut nimirum ex praeterito colligeret si quid in eorum responsionibus de venturo certum teneret. Qui cum dicere nullatenus potuissent, Daniel deductus ad medium est, qui de interpretatione somnii, et de narratione requisitus, non solum hoc respondit quod interrogatus est, sed ipsam somnii originem replicavit, dicens: *Tu, rex, caepisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum post haec* **(Ibid., 29)**. Et paulo post: *Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis* **(Ibid., 31)**, et caetera. Cujus videlicet somnii mox ut ordinem dixit, quidquid ex eodem venturum sequebatur aperuit. Pensemus ergo ordinem prophetiae. A cogitationibus venit ad somnium, a somnio pervenit ad futura. Qui ergo ipsam, ut ita dicam, radicem somnii protulit, profecto ex praeteritis probavit quam vera essent quae de futuris diceret. Prophetia autem praesentis temporis nec praeteriti attestatione indiget, nec futuri, quia cum res occulta per prophetiae verba detegitur, veritati illius res ipsa quae ostenditur attestatur.

4. Igitur quia de temporibus prophetiae tractavimus, restat ut de modis ejus ac qualitatibus aliqua disseramus. Spiritus quippe prophetiae nec semper, nec eodem modo prophetae animum tangit. Aliquando enim spiritus prophetiae ex

praesenti tangit animum prophetantis, et ex futuro nequaquam tangit; aliquando ex futuro tangit, et ex praesenti non tangit. Aliquando vero ex praesenti et ex futuro tangit; aliquando autem ex praeterito, et ex praesenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis. Aliquando tangit ex praeterito prophetiae spiritus, nec tangit ex futuro; aliquando autem tangit ex futuro, nec tangit ex praeterito. Aliquando vero in praesenti ex parte tangit, et ex parte non tangit; aliquando in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit. Sed haec ipsa, si possumus, eo ordine quo praemissa sunt sacrae Scripturae testimoniis ostendamus.

5. Ex praesenti enim prophetiae spiritus prophetantis animum tangit, atque ex futuro non tangit, sicut Joannes Baptista venientem Dominum videns, ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* **(Joan. I, 29)**. Sed cum jam moriturus esset, missis discipulis, requirebat, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* **(Matth. XI, 3)**? In quibus verbis ostenditur quia in terris quidem venisse Redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet dubitabat. Ex praesenti enim per prophetiae spiritum tactus fuerat, qui humanitatem Mediatoris videns, et divinitatem ejus intelligens, confitebatur Agnum qui peccata mundi tolleret; sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in infernum nesciebat.

6. Aliquando vero prophetiae spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex praesenti non tangit, sicut aperte libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit **(Genes. XXVII, 3, seq.)**, cui minorem filium Rebecca ad benedicendum supposuit, qui hoedinis pellibus indutus paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille

minori filio tanquam majori benedictionem dedit, quaeque ei essent longe futura nuntiavit; sed quis esset qui coram se assisteret, scire non potuit. **1177** Prophetiae ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex praesenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater et ventura praedicebat, et praesentem filium nesciebat.

7. Aliquando prophetantis animum ex praesenti pariter et ex futuro tangit, quod ex eodem libro Geneseos liquido docemur **(Genes. XLVIII)**. In illo quippe scriptum est quia cum vitae jam termino propinquaret Jacob, et duos filios suos Joseph fecit assistere, ut ex benedictione illius possent longe post futura promereri, cui majorem ad dexteram, minorem vero posuit ad sinistram **(Ibid., 10)**. Cumque ille, oculis senectute caligantibus, nepotes suos quis prior, quisve esset minor, humano visu discernere nequaquam posset, ductis in obliquum brachiis, dexteram manum minori, sinistram majori imposuit. Quod dum corrigere filius vellet, dicens: *Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus,* audivit: *Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur, sed frater ejus junior major illo erit* **(Ibid., 18, 19)**. Prophetiae ergo spiritus ex praesenti pariter et ex futuro prophetantis animum tetigit, dum Jacob et ventura nuntiabat, et eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per spiritum discernebat. Sic Ahiae prophetae animum prophetiae spiritus ex praesenti atque ex futuro tetigerat, cum, caligantibus oculis, eam quae se esse aliam simulabat, et uxorem Jeroboam esse cognovit, et quidquid ei futurum esset aperuit, dicens: *Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius. Vade et dic Jeroboam: Haec dicit Dominus Deus Israel: Quia*

operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum, idcirco ego inducam mala super domum Jeroboam **(III Reg. XIV, 6)**. Ex praesenti enim atque ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui et ingredientem deprehendere potuit, et ei ventura nuntiare.

8. Aliquando autem ex praeterito et ex praesenti, atque ex futuro pariter animus tangitur prophetantis, sicut Elisabeth venire ad se Mariam conspiciens quia incarnatum Verbum gestaret in utero agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* **(Luc. I, 43)**? De cujus conceptione per angelum quoque ad Joseph dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* **(Matth. I, 20)**. Quae videlicet Elisabeth dixit: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino* **(Luc. I, 45)**. Dicens enim: *Beata quae credidisti,* aperte indicat quia verba angeli quae dicta ad Mariam fuerant per spiritum agnovit; atque sunjungens: *Perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino,* quae eam etiam in futuro sequerentur praevidit. Simul ergo de praeterito et praesenti atque ex futuro per prophetiae spiritum tacta est, quae et eam promissionibus angeli credidisse cognovit, et matrem nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret intellexit; et cum omnia perficienda praediceret, quid etiam de futuro sequeretur aspexit.

1178 9. Aliquando vero prophetiae spiritus ex praeterito tangit animum, nec tangit ex futuro, sicut in Paulo apostolo aperte ostenditur, qui discipulis dicit: *Notum vobis facio, fratres,*

Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi **(Gal. I, 11)**. Unde aliis quoque discipulis dicit: *Secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum* **(Ephes. III, 3)**. Qui tamen hoc ipsum Evangelium quod per revelationem cognoverat, cum Jerosolymam praedicaturus ascenderet, ait: *Ecce ego alligatus spiritu vado in Jerusalem, quae in ea ventura sunt mihi ignorans* **(Act. XX, 22)**. Hoc quippe Evangelii sacramentum est, quia Unigenitus Patris incarnatus atque perfectus homo factus est, qui crucifixus, mortuus, et sepultus, die tertia surrexit; die quoque quadragesima ascendit in coelum, atque in dextera Patris sedet. Qui ergo per revelationem Evangelium agnovit, prophetiae spiritu de praeterito tactus est; sed quia quid pro eodem Evangelio passurus esset ignoravit, de futuro procul dubio tactus non est. Nam sic dicit: *Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur mihi, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent* **(Ibid., 23)**, aperte ostendens quia ea quae ipsi futura essent aliis de ipso revelata erant, non autem ipsi de se, sicut de illo per Agabum dicitur: *Virum, cujus haec zona est ita alligari oportet in Jerusalem* **(Act. XXI, 11)**.

10. Aliquando autem prophetiae spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex praeterito; sicut de Elisaei facto scriptum est, quia cum unus ex filiis prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamavit: *Heu! heu! Domine mi, et hoc ipsum mutuum acceperam. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Praecidit ergo lignum, et misit illuc, natavitque ferrum* **(IV Reg. VI, 5)**.

In quo videlicet prophetae facto cognoscitur quia qui requirit ubi ceciderat quid esset facturus noverat; sed tamen cum requirit, constat quia ubi ferrum cecidisset ignorabat. Prophetiae ergo spiritus Elisaei mentem ex futuro tetigerat, sed ex praeterito non tangebat, qui et ferrum in profundis demersum, quia revocaturus esset ad superficiem, scire potuit; sed ubi ceciderat omnino nescivit.

11. Aliquando vero prophetiae spiritus in praesenti ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri apostoli historia testatur, cum missi ad eum a Cornelio milites ei sunt per spiritum nuntiati; scriptum quippe est: *Et dixit spiritus ei: Ecce viri tres quaerunt te. Ad quos ille descendit, et requirens dixit: Quae causa est propter quam venistis* **(Act. X, 20)**? In cujus verbis ostenditur quia eamdem causam per spiritum non audierat quam a militibus requirebat. In praesenti ergo mentem Petri spiritus ex parte te tigerat, et ex parte non tetigerat, qui et adesse mi lites dixit, et pro qua causa venerant tacuit.

12. Aliquando spiritus prophetiae in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit; sicut prophetarum filii de auferendo Elia ad Elisaeum dicunt: *Nunquid nosti quia hodie Dominus tollat dominum tuum a te* **(IV Reg. II, 3, 5)**? Quo tamen ablato, sese per diversa **1179** dispergunt, eumque in rupibus et vallibus quaerunt. In futuro ergo eorum mentem prophetiae spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum noverant non inveniendum quaerebant. Ex parte itaque tacti sunt, atque ex parte non tacti, quia et sciebant quod tolli posset, et nesciebant quod inveniri non posset. Idem quoque Elisaeus per prophetiae spiritum de futuro ex parte tactus est, et ex parte non tactus, cum regi Israel

diceret: *Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam* **(IV Reg. XIII, 18, 19)**. Qui itaque noverat quia toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram; sed cum ei diceret, *Percute terram,* quoties eam percussurus esset ignorabat (quippe quia et indignatus est terram tertio fuisse percussam), profecto constat quia de futuro ex parte tactus fuerat, et ex parte non tactus, qui Syriam percuti praedixit, sed terram amplius percuti voluit. Sic Samuel cum ad unguendum David a Domino mitteretur, respondit: *Quomodo vadam? Audiet enim Saul, et inter ficiet me* **(I Reg. XVI, 2)**. Qui et David unxit, nec tamen a Saule occisus est. Ex parte ergo de futuro tactus prophetae animus fuerat, et ex parte non tactus, qui et unguendum David in regno noverat, et quia a Saule non esset occidendus ignorabat.

13. Sciendum quoque est quod prophetae quidem e proximo tanguntur, atque e longinquo minime tanguntur; alii vero e longinquo, et non tanguntur e proximo; alii autem et e longinquo, et e proximo, prophetiae spiritu tanguntur. Nam quidam tanguntur e proximo, et non e longinquo, sicut Samuel perisse asinas noverat, easque inventas esse nuntiavit, et Saul regem futurum praedicit **(I Reg. IX, 15, 20)**; David quoque quia in ejus regno succederet nuntiat, sed quia pater Regis aeterni futurus sit non praedicit **(I Reg. XVI, 12)**. Quidam vero tanguntur e longinquo, et non tanguntur e proximo, sicut idem David incarnandum Dei Unigenitum noverat, de Judaea dicens: *Homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* **(Psal. LXXXVI, 5)**. Atque hunc ad coelos

ascensurum, et ad Patris dexteram sessurum intelligit, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* **(Psal. CIX, 1)**. Et tamen multa quae e vicino acta sunt minime praevidit. Ut enim pauca de multis loquar, servum Miphiboseth sibi contra suum dominum mentientem non intellexit **(II Reg. XVI, 3, 4)**; et Amasae promittens, dicit: *Haec faciat mihi Deus, et haec addat, si non magister militiae fueris coram me omni tempore pro Joab* **(Ibid. XIX, 13)**, videlicet quid sequeretur ignorans, quia Amasa idem non solum principatum militiae pro Joab non susciperet, sed etiam per Joab post paululum vitam finiret **(Ibid., XX, 10)**. Et cum templum Deo construere voluit, quid e vicino sequeretur nesciens, prophetam alterum requisivit **(Ibid. VII, 3)**.

14. Quidam vero et e longinquo tanguntur et **1180** e proximo, sicut Isaias longe post futura praenuntiat, dicens: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* **(Isai. VII, 14)**. De quo rursus ait: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis* **(Ibid. IX, 6)**. Qui etiam de Ezechia rege prophetiae spiritu tactus e vicino, quia eum de infirmitate sua surgeret praedixit, et quot annis post infirmitatem viveret nuntiavit **(Ibid. XXXVIII, 5)**.

15. Aliquando vero prophetiae spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Unde Elisaeus cum flentem Sunamitem mulierem a suis pedibus per Giezi puerum avelli prohiberet, dixit: *Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non*

indicavit mihi **(IV Reg. IV, 27)**. Sic quoque cum eum Josaphat de futuris requireret, et prophetiae ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiae ad hunc spiritus per laudem psalmodiae descenderet, atque ejus animum de venturis repleret **(Ibid., III, 11, 15)**. Vox enim psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter est quo ostendam illi salutare Dei* **(Psal. XLIX, 23)**. Quod enim Latine *salutare,* hoc Hebraice *Jesus* dicitur. In sacrificio igitur laudis fit Jesu iter ostensionis, quia dum per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Jesum in fine pervenitur, sicut ipse de sua ostensione loquitur, dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* **(Joan. XIV, 21)**. Hinc quoque scriptum est: *Cantate Domino, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est ei* **(Psal. LXVII, 5)**. Ipse etenim super occasum ascendit, qui mortem resurgendo calcavit. Cui dum cantamus, iter facimus, ut ad nostrum cor veniat, et sui nos amoris gratia accendat. Quia autem prophetis prophetiae spiritus non semper adest, etiam vir Dei indicat, qui, contra Samariam missus, mala quae ei ventura erant nuntiavit **(III Reg. XIII)**; qui, tamen, prohibitus a Domino in via comedere, prophetae falsi persuasione deceptus est **(Ibid., XVIII, 19)**; quem fallax sermo non deciperet, si prophetiae spiritum praesentem habuisset.

16. Sciendum quoque est quod aliquando prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo

spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per sanctum Spiritum citius correcti, ab eo quae vera sunt audiunt, et semetipsos quia falsa dixerint reprehendunt. Nathan etenim prophetam sanctum virum fuisse quis nesciat? Qui David regem et de culpa aperte reprehendit, et quae ei pro culpa eadem essent ventura nuntiavit; **1181** quem tamen dum idem David, quia templum Deo vellet construere, requisisset, illico respondit: *Omne quod est in corde tuo, vade et fac, quia Dominus tecum est* **(II Reg. VII, 3)**. De quo illic statim subditur: *Factum est autem in nocte illa, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: Vade et loquere ad servum meum David. Haec dicit Dominus Deus: Nunquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitavi in domo ex die qua eduxi filios Israel de terra Aegypti usque in diem hanc* **(Ibid. 4)**. Et paulo post: *Cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse aedificabit domum nomini meo* **(Ibid. 12, 13)**. Ecce Nathan propheta qui prius regi dixerat: *Vade et fac,* ipse postmodum per prophetiae spiritum edoctus, hoc fieri non posse denuntians, et regis consiliis et suis sermonibus contradixit, quia quod ex suo spiritu dixerat, falsum fuisse deprehendit.

17. Qua in re inter prophetas veros ac falsos ista distantia est, quia prophetae veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetae autem falsi et falsa denuntiant, et alieni a sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.

18. Consideratis igitur prophetiae temporibus et modis, intueri libet qualiter omnipotens Deus ad provectum hominum

suae irae moderamina dispensat. Israeliticus quippe populus conditori suo deliquerat, et idcirco regi Babylonio in captivitate serviebat; cum quo tamen Ezechiel propheta in captivitatem mittitur **(Ezech. III, 11)**, quem divina gratia ita sibi placabilem fecerat, ut per eum ventura quaeque praediceret, et afflicti populi mentem consolari dignaretur. Consideremus ergo, si possumus, quanta est dispensatio supernae pietatis, quia sic iratus est populo suo Dominus, ut tamen omnimodo non irasceretur. Nam si iratus non esset, in captivitatem populum minime tradidisset; et si omnimodo iratus esset, electos suos in captivitatem cum illo non mitteret. Sed agit haec divina misericordia, ut ex una eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis praestet incrementum. Cumque illos per tribulationem purgat, istos ex societate tribulantium ad majora promerenda excitat. Et sic injustis irascitur, ut tamen eorum corda per justorum consortium consoletur; ne si omni modo deserat, nullus post culpas ad veniam redeat. Tenendo igitur repellit, **1182** et repellendo tenet, quando cum his quos dijudicat simul in tribulationem mittit quos amat. Quis ista tantae pietatis viscera pensare sufficiat? Quod et culpas populi Dominus sine vindicta non deserit, et tamen delinquentem populum a se funditus non repellit. Sic cum Moyses ad repromissionis terram exploratores duodecim misisset **(Num. XIII)**, ex quibus cum decem postmodum desperationem populo facerent, idem populus in ira murmurationis accensus, seductum se a Domino esse conquestus est, ut ejus cadavera jacerent in deserto **(Ibid., XIV)**; cui omnipotens Deus iratus dixit quod nullus eorum in terram repromissionis intraret **(Ibid.)**: quo terrore compuncti, prave se egisse cognoverunt, sese in lacrymis afflixerunt, et accincti armis,

protinus coeperunt contra hostes ascendere, ut repromissionis terram post lacrymas intrare potuissent **(Ibid. 42)**. Quibus per Moysen Dominus dicit: *Dic eis, Nolite ascendere, neque pugnetis; non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris* **(Deut. I, 42)**. Qua in re pensandum est, si cum ipsis non erat, cur eos ne caderent ascendere prohibebat? Si autem cum ipsis erat, quid est quod ait: *Non enim sum vobiscum?* Sed mira dispensatione disciplinae ac misericordiae, et cum ipsis erat, et cum ipsis non erat. Cum ipsis non erat ut vincerent, sed tamen cum ipsis erat ne ab hostibus perirent. O ineffabilia pietatis viscera! Culpas insequitur, et tamen peccantes protegit. Iratum se indicat, et tamen ab hostibus defendit. Sic plerumque parvulo filio delinquenti irascitur mater, reprehendit, increpat, verberat; sed si hunc in praeceps ire conspexerit, ubi in mortis periculum ruat, manum tendit et retinet, et quae sic irata verberaverat ac si non diligeret, sic diligendo retinet, ac si irata non verberasset.

19. Haec in sola praefatione colloquentes, navigii nostri quasi intra portum exercitium fecimus, ut ad indaganda prophetiae mysteria, velut in immensitatem pelagi, post vela pandamus. Quod tamen non in nostra virtute praesumimus, sed in eo qui linguas infantium facit disertas, quia *spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* **(Sap. I, 7)**. Omnipotens enim Deus, sermo Patris omnipotentis est, et qui de illo loqui concupiscimus, muti in illo nullo modo erimus. Dabit verba utilia omnipotens Verbum, quod pro nobis incarnatum vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II. *Prophetiae Ezechielis quinque priores versus, juxta multiplicem sensum, allegoricum praesertim et moralem exponuntur.*

1183 1. Usus propheticae locutionis est ut prius personam, tempus locumque describat, et postmodum dicere mysteria prophetiae incipiat, quatenus ad veritatem solidius ostendendam, ante historiae radicem figat, et post fructus spiritus per signa et allegorias proferat. Ezechiel itaque aetatis suae tempus indicat, dicens:

EZECH. I, 1.---*Et factum est in tricesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis.*

Locum quoque denuntians, adjungit:

IBID.---*Cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt coeli, et vidi visiones Dei.*

Tempus etiam insinuat, subdens:

VERS. 2.---*In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin.*

Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat, cum subditur:

VERS. 3.---*Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacerdotem.*

2. Sed prima quaestio nobis oritur cur is qui nihil adhuc dixerat ita exorsus est, dicens: *Et factum est in tricesimo anno. Et* namque sermo conjunctionis est, et scimus quia non conjungitur sermo subsequens nisi sermoni praecedenti. Qui igitur nihil dixerat cur dicit: *Et factum est,* cum non sit sermo cui hoc quod incipit subjungat? Qua in re intuendum est quia sicut nos corporalia, sic prophetae sensus spiritalia aspiciunt, eisque et illa sunt praesentia quae nostrae ignorantiae absentia videntur. Unde fit ut in mente prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat et intus verbum quod audiunt, et foras quod dicunt. Patet igitur causa cur qui nihil dixerat inchoavit dicens: *Et factum est in tricesimo anno.* Quia hoc verbum quod foris protulit illi verbo quod intus audierat conjunxit. Continuavit ergo verba quae protulit visioni intimae, et idcirco incipit dicens: *Et factum est.* Subjungit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si et illud foris sit quod intus videt.

3. Hoc autem quod dicitur, quia tricesimo anno spiritum prophetiae acceperit, indicat aliquid nobis considerandum, videlicet quia juxta rationis usum doctrinae sermo non suppetit nisi in aetate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo aetatis suae in medio doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri **(Luc. II, 46)**. Ut enim non auderent homines in infirma aetate praedicare, ille anno duodecimo aetatis suae interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper angelos docet in coelo. **1184** Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso angeli videndo vivunt hoc quod beatitudine aeterna satiantur. Quod Moyses quoque sub allegoriae mysterio admonet, dicens: *Non*

arabis in primogenito bovis **(Deut. XV, 19)**. Primogenitum enim bovis accipimus in infirma aetate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sunt adolescentiae vel juventutis nostrae tempora, nobis adhuc a praedicatione cessandum est, ut vomer linguae nostrae proscindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus, quia et arbusta plantata si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit, et tamen nil officit; venti impellunt, nec tamen impellentes laedunt. Et constructi parietes si impellantur, eruuntur, nisi a suo prius fuerint humore siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suae perfecte non fuerit exsiccata, alienae linguae manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plus quam tolerare valet concutitur, arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda nisi quae firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur: *Praecipe haec, et doce; nemo adolescentiam tuam contemnat* **(I Tim. IV, 11, 12)**, sciendum est quod in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur. Unde scriptum est: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua* **(Eccle. XI, 9)**. Propheta igitur, ut ostendatur cujus auctoritatis sit in praedicatione, aetatis solidae esse describitur, quatenus ei cum vita et spiritu omnia quae ad praedicandum congruunt concordare videantur.

4. Nec contra haec quempiam movere debet quod Jeremias **(Jerem. I, 5)** atque Daniel **(Dan. XIII, 45)** prophetiae spiritum pueri perceperunt, quoniam miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Omnipotens enim Deus et linguas infantium facit disertas **(Sap. X, 21)**, et ex ore infantium atque lactentium perficit laudem **(Psal. VIII, 3)**. Sed aliud est quod nos de doctrinae usu atque disciplina discimus, aliud quod de miraculo scimus.

5. Jam vero si quaeritur ut in ipsa quoque aetatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quod propheta Dominum, quem verbis denuntiat, ipso quoque aetatis suae **1185** tempore ostendat. Anno tricesimo Ezechielis prophetae coeli aperti sunt, et vidit visiones Domini juxta fluvium Chobar, quia quasi tricesimo aetatis suae anno Dominus ad fluvium Jordanem venit. Ibi itaque coeli aperti sunt, quia Spiritus in columba descendit; vox quoque de coelo sonuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(Matth. III, 17)**.

6. Sed et ipsa Hebraea verba multum nobis ad mysterium interpretandum valent. Nam Chobar interpretatur gravitudo, vel gravitas; Ezechiel, fortitudo Dei; Buzi, despectus vel contemptus; Chaldaei, captivantes, vel quasi daemones. Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar; quia enim Chobar gravitudo, vel gravitas dicitur, quid per Chobar fluvium, nisi humanum genus congrue designatur? Quod ab ortu defluit ad mortem, et grave sibi est ex peccatis, quae et perpetrat et portat, quia, sicut scriptum est: *Iniquitas in talentum plumbi sedet* **(Zach. V, 7)**. Omne enim peccatum grave est, quia non permittit animam ad sublimia levari. Unde et per Psalmistam dicitur: *Filii hominum, usquequo gravi corde* **(Psal. IV, 3)**?

Scriptum vero de Domino est, *Quia ipse est Dei virtus, et Dei sapientia* **(I Cor. I, 18)**. Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar, quia fortitudo Dei per incarnationis suae mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* **(Psal. I, 3)**. Juxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum. Ezechielem autem fortitudinem Dei, Buzi vero despectum interpretari diximus. Sed Ezechiel filius est Buzi, quia ex illo populo unigenitus Dei incarnari dignatus est, quem propter culpam perfidiae Dominus despexit. Fortitudo ergo Dei ex contemptu, vel despectu nascitur, quia Redemptor noster humanitatem assumere ex populo perfido et contempto dignatus est. Venit vero in terram Chaldaeorum. Chaldaei interpretantur, ut diximus, captivantes, vel quasi daemones. Iniqui etenim, quia et ipsi iniquitates perpetrant, et ad iniquitatem alios persuadendo trahunt, nimirum captivantes sunt. Qui recte quoque et quasi daemones interpretantur, quia et hi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium daemonum ad iniquitatem suscipiunt, quamvis daemones per naturam non sint. Venit ergo fortitudo Dei in terram Chaldaeorum, quia inter eos Unigenitus Patris apparuit qui in semetipsis ad peccatum defluxerant, et ad peccata alios captivantes trahebant. Sed expositionis sermo ad prophetae nunc personam redeat.

VERS. 3.---*Et facta est super eum ibi manus Domini.*

7. Manus vel brachium Domini Filius dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt. De quo etiam Psalmista ait: *Fiat manus tua*

ut salvum me faciat **(Psal. CXVIII, 173)**. Manus quippe Dei quae per divinitatem non est facta, sed genita, per humanitatem facta est, ut humani generis vulnera sanaret. Ibi ergo propheta incarnationem Unigeniti agnovit, ubi super se manum Domini factam vidit. Quod vero hic subditur:

1186 VERS. 4.---*Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.*

8. Intuendum nobis est quis sit in prophetae verbis ordo locutionis. Qui enim superius de se ipso dixerat: *Aperti sunt coeli, et vidi visiones Dei,* postea tanquam si de alio narret, adjungit: *Et facta est super eum ibi manus Domini.* Ac deinde quasi ad se revertitur, et dicit: *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Quid est hoc, quod modo Ezechiel loquitur, modo de Ezechiele? Si per totum diceret de se, quaestio non esset. Si per totum diceret quasi de alio, nihilominus quaestio non fuisset. Quid est ergo hoc quod sic variatur sermo propheticus, ut modo Propheta de se loquatur, modo autem de ipso quasi alius loqui videatur? Sed sciendum est quia hi qui prophetiae spiritu replentur, per hoc quod aperte nonnunquam loquuntur de se, et nonnunquam sic de se verba tanquam de aliis proferunt, indicant quia non propheta, sed Spiritus sanctus loquitur per prophetam. Pro eo enim quod per ipsos sermo fit, ipsi loquuntur de se; et pro eo quod aspirante Spiritu sancto loquuntur, idem Spiritus sanctus per ipsos loquitur de ipsis, Veritate attestante quae dicit: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* **(Matth. X, 20)**. Hinc etiam Moyses ait: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra* **(Num. XII, 3)**. Qui enim non dicit Eram, sed *erat,* profecto aperte indicat quia is qui per illum de illo

loquebatur alius erat. Hinc Joannes ait: *Vidit illum discipulum quem ditigebat Jesus* **(Joan. XXI, 20)**. Unde et Paulus ut non se esse qui loquebatur ostenderet, dixit: *An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus* **(II Cor. XIII, 3)**? Quia igitur in locutione prophetica alter est qui praesidet, alter qui obsequitur, cum de se ipso propheta loquitur persona obsequentis est, cum vero per prophetam Spiritus sanctus loquitur de propheta, sublimitas praesidentis ostenditur. Recte ergo et tanquam de alio dicitur: *Et facta est super eum ibi manus Domini;* et de se protinus adjungit: *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Nunc itaque discutiendum nobis est quid sit quod dicit: *Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna.*

9. Pro eo quod ventus Aquilo constringit in frigore, non incongrue Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque propheta testatur, qui dixisse diabolum denuntiat: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* **(Isai. XIV, 13)**. Malignus enim spiritus montem testamenti tenuit, quia Judaicum populum, qui legem acceperat, sibi in perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus praesidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Unde et sponsi voce in Cantico canticorum dicitur: *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius* **(Cant. IV, 5)**. Cum enim, jubente Domino, frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mentem fidelium occupat; qui hortum Dei, id est sanctam Ecclesiam perflat, ut opiniones virtutum ejus ad multorum notitiam velut aromata defluant. Recedente etenim Aquilone, id est maligno spiritu, sanctus Spiritus **1187** mentem quasi

Auster replet. Qui dum calefaciendo flaverit, statim de fidelium cordibus aromata virtutum fluunt. Propheta ergo ea quae essent in finem ventura conspiciens, venire ab Aquilone ventum turbinis vidit, quia in extremo saeculi mentes hominum torporis sui frigore malignus spiritus gravius occupabit. Unde scriptum est: *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet* **(Apoc. XII, 12)**. Antiquus quippe adversarius insidiarum suarum molimina in humanis mentibus gravius exaggeravit. Contra cujus excrescentem superbiam incarnati manifestata est humilitas Dei: atque ut humanum genus a suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cum languor crevit aegroti.

10. Bene autem maligni spiritus immissio, ventus turbinis appellatur. Turbo quippe aedificium quod tangit, concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quae agitur in mente, ventus est turbinis; quia hanc concutiendo per desideria, a statu suae rectitudinis evellit. Sed nos ista reticentes quae humano generi erunt ab hoste callido in finem ventura, ad solam Judaeam, ex qua Propheta fuit, et cujus perditionem prophetando conspicit, verba vertamus. Quae incarnato Domino tanto gravius ab Aquilone ventum turbinis pertulit, quanto a sua rectitudine concussa cadens, per torporem mentis in perfidia frigida remansit. Ventus ergo turbinis ab Aquilone venit, cum vitam Judaici populi malignus spiritus in tentatione concussit. Ubi et recte additur:

IBID.---*Et nubes magna.*

11. Quia quanto plus quisque exarsit in crudelitate, tanto amplius obcaecari meruit in ignorantiae suae caligine.

Redemptorem quippe humani generis, quem in lege ac prophetis intelligentes exspectaverant, videntes negabant. Unde actum est ut eorum mens magna ignorantiae suae nube tegeretur, ne hunc post inquirentes agnoscerent, quem prius et denuntiare poterant, et amare renuebant. Nam cum modo ejus virtutes et miracula, modo autem passiones conspicerent, in infidelium cordibus nubes magna ab Aquilone venerat, quia ex peccati sui frigore propter infirmitatem passionis illius et inter signa caligabant. Quid vero ex illa nubis magnae caligine sit secutum, subjungitur, cum protinus dicit:

IBID.---*Et ignis involvens.*

12. Ignis enim nomine, cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando autem mentis malitia designatur. De bono enim igne scriptum est: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur* **(Luc. XII, 49)**. Ignis quippe in terram mittitur cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens a carnalibus suis desideriis concrematur. De malo autem igne dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumet* **(Hebr. X, 27)**, quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiae involvit, quia et Spiritus sanctus cor quod replet elevat, et ardor malitiae ad inferiora semper incurvat. Judaea igitur nube suae ignorantiae caecata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo involuta est, quae in obligatione se nequitiae per eamdem ipsam **1188** crudelitatem qua arsit implicavit. *Ventus autem turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens,* quia ex torporis sui frigore ad ignorantiae caliginem perducta, usque ad malitiam persecutionis erupit. Unde ad alium quoque prophetam dicitur: *Quid tu vides?* Qui

illico respondit: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis* **(Jerem. I, 13)**. Judaeorum quippe mens in persecutione saeviens, atque in crudentate malitiae undas cogitationum volvens, quid aliud quam olla succensa fuit? Cujus facies a facie Aquilonis esse dicitur, quia si se adverso spiritui per torporem mentis non subderet, contra bonos in tanta malitia non exarsisset. Nubem itaque sequitur ignis involvens, quia in eis caecitatem mentis secuta est crudelitas persecutionis. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* **(I Cor. II, 8)**. Sed iste ignis alibi arsit, atque alibi splenduit. Nam subditur:

IBID.---*Et splendor in circuitu ejus.*

13. Dum enim persecutio in Judaea agitur, sancta apostolorum praedicatio in universo mundo dispersa est, sicut ipsi dicunt: *Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad gentes* **(Act. XIII, 46)**. De crudelitate ergo malitiae, quae mentem Judaeae concremavit, omnipotens Deus lucem gentibus sparsit, quia per hoc quod illa Redemptorem suum ac membra ejus persecuta est, sanctis apostolis per diversa dispersis, nos qui in Judaeae circuitu positi in tenebris fuimus, dono coelestis gratiae splendorem veri luminis vidimus. Unde scriptum est: *Sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis* **(Isai. IX, 2)**. Iste itaque ignis malitiae qui a Judaeorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos apostolos saeviendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac redemptore generis humani. Unde et subditur:

IBID.---*Et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis.*

14. Quid electri specie, nisi Christus Jesus Mediator Dei et hominum designatur **(I Tim. II, 5)**? Electrum quippe ex auro et argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc a claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio naturae divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam excrevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, per hoc quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas a fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quae in se manens innovat omnia, si ita ut est nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius quam renovaret. Sed claritatem suae magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, et per acceptam gratiam, ut ita dicam, suae habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne est Deus factus homo in persecutione. Sequitur:

VERS. 5.---*Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.*

1189 15. Quod in medio ejus dicitur, sive electri sive ignis, nil obstat intelligi, quia quatuor haec animalia, sancti scilicet evangelistae, et ex ejusdem Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, et in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti.

16. Quod si quis haec quae de primo Domini adventu diximus etiam de secundo velit accipere, celeri assensu sequendus est, quia saepe prophetiae spiritus in uno quod loquitur multa

simul intuetur. Ventus enim turbinis ab Aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimae inde venire dicitur, unde generatur. Nam quia ad feriendas frigidas peccatorum mentes judicium perturbationis ultimae agitur, recte ab Aquilone ventus turbinis venire perhibetur. Quae videlicet concussio apte ventus turbinis dicitur, quia in illo die cunctorum qui tunc in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commovebuntur. Cum enim coeperit impleri quod scriptum est: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur* **(Matth. XXIV, 29)**, quae mens erit hominis aeterni Judicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc cuncta simul peccata ante oculos redeunt, ibi omnia quae cum delectatione acta sunt ad memoriam cum pavore revocantur, ibi caligo cogitationis miserae ex poena proximae damnationis. Unde et subditur: *Et nubes magna.* Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo caecitatis, cum unigenitum Dei Filium in forma divinitatis conspicere reprobi non permittuntur. *Videbunt* enim *in quem transfixerunt* **(Joan. XIX, 37; Zach. XII, 10)**. Et, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* **(Isai. XXVI, 10)**. Ubi et aperte subditur: *Et ignis involvens.* Quia videlicet ignis ille judicii, qui coelum aereum et terram concremabit, peccatores jam in sua superbia non permittet erigi, sed involvet, quos procul dubio in poena suae damnationis confringet.

17. *Et splendor in circuitu ejus.* Quia sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, ita erit adventus Filii hominis **(Matth. XXIV, 27)**. Ubi nullus tunc a judicio in sua

mente latere permittitur, quia ipso judicis fulgore penetratur. De quo mox subditur: *Et in medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis.* Ipse enim angelis atque archangelis omnibusque virtutibus praesidens Redemptor noster, qui velut in electri similitudinem unus ex utraque et in utraque natura et Deus permansit cum Patre, et ad redemptionem nostram factus est mortalis cum hominibus, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindicta famulabitur. Hinc enim scriptum est: *Dies Domini declarabit quia in igne revelabitur* **(I Cor. III, 13)**. Hinc Psalmista ait: *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* **(Psal. XLIX, 3)**. Hinc Petrus apostolus dicit: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transibunt, elementa vero ignis ardore solventur* **(II Pet. III, 10)**. Et quia tunc sancti omnes qui mundum perfecte reliquerunt judices veniunt, **1190** apte mox subditur:

18. *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.* Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor evangelistae signantur? Nec immerito per evangelistas quatuor perfectorum omnium numerus exprimitur, quia omnes qui in Ecclesia modo perfecti sunt perfectionis suae rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. In medio enim ejus similitudo quatuor animalium, quia illi tunc ejus corpori uniti ejus majestati conjuncti, et simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta Evangelica praecepta secuti sunt. Hinc est enim quod ipsis sanctis apostolis dicitur: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* **(Matth. XIX, 28)**. Hinc Isaias

ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* **(Isai. III, 14)**. Hinc Salomon de Ecclesia loquitur, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terrae* **(Prov. XXXI, 23)**. His itaque sub brevitate transcursis, adventus primi ordinem, sicut coepimus, exsequentes, ad Evangelistarum personas in expositione redeamus. Sequitur:

VERS. 5.---*Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.*

19. Cum paulo post sancta haec animalia singulis distincta imaginibus describantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilae simile dicatur, quid est quod hoc loco de omnibus simul dicitur, *Similitudo hominis in eis?* Sed quis hoc loco homo describitur, nisi ille de quo scriptum est: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* **(Philip. II, 6)**? Haec itaque animalia ut surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad hujus hominis similitudinem tendunt. Sancta enim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent, quia quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiae, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiae, id est a Mediatore Dei et hominum Deo Domino traxerunt. Hujus se hominis similitudinem habere egregius praedicator ostendit, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* **(I Cor. IV, 16)**. Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de coelo descendit* **(I Cor. XV, 47)**.

Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ab ejus mandatis atque operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Plangunt autem vitam delinquentium praedicatores sancti: sed de ipso nostro capite scriptum est, quia *flevit super Jerusalem* **(Luc. XIX, 41)**. Gaudent de bonis actibus subditorum, et recte operantes diligunt; sed de Redemptore nostro scriptum est quia cum adolescens quidam **1191** diceret: *Haec omnia custodivi a juventute mea* **(Matth. XIX, 20)**, magis dilexit eum. Portant illatas contumelias praedicatores sancti, et nullam ad invicem contumeliam reddunt; sed cum Redemptori nostro diceretur: *Daemonium habes* **(Joan. VIII, 48)**, non injuriam reddidit, sed mansuete respondit, dicens: *Ego daemonium non habeo* **(Ibid., 49)**. Fervent zelo rectitudinis praedicatores sancti; sed Redemptor omnium, flagello de resticulis facto, vendentes et ementes ejecit de templo, cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit aes. **(Matth. XXI, 12; Joan. II, 15)**. In omni quod fortiter agunt, humilitatem tota intentione custodiunt; sed per Redemptorem nostrum dicitur: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* **(Matth. XI, 29)**. Persecutores quoque suos diligunt praedicatores sancti; sed ipse, auctor omnium ac redemptor in passione positus, pro persecutoribus intercedit, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* **(Luc. XXIII, 34)**. Membra sua ponunt in passione pro fratribus; sed pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vitae. Dicatur ergo de sanctis animalibus quod similitudo hominis in eis est, quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est de virtute imitationis. Caput quippe omnium nostrum Redemptor noster est. Et per Salomonem

dicitur: *Oculi sapientis in capite ejus, stultus autem in tenebris ambulat* **(Eccle. II, 14)**. Tunc enim in capite oculos habemus, cum vitam Redemptoris nostri tacita cogitatione conspicimus, cum omnis nostra intentio in ejus imitationem se erigit, ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat. Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret: *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas* **(Psal. CXVIII, 15)**. Qui enim vias Domini tacitus in mente considerat, et se exercere in mandatis illius festinat, quid aliud in semetipso nisi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in sanctorum cordibus incessanter agitur, recte nunc de animalibus dicitur: *Similitudo hominis in eis.*

20. Post hanc vero similitudinem quae nunc in moribus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriae pervenitur. Hinc etenim Joannes dicit: *Nunc* **1192** *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* **(I Joan. III, 2)**. Qui mox unde hoc fieri valeat adjungit dicens: *Quoniam videbimus eum sicuti est* **(Ibid.)**. Esse enim Dei est aeternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit; Dei vero esse, est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* **(Exod. III, 14)**. Jacobus quoque ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* **(Jac. I, 17)**. Itaque per Joannem dicitur: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est,* quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturae, a mutabilitate nostra liberati, figimur in aeternitate. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte

carebimus videndo vitam, Mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilem. Corruptione nulla tenebimur videndo incorruptum.

21. Erit autem tunc similitudo hominis etiam in corporibus nostris. Hinc etenim per Paulum dicitur: *Nostra conversatio in coelis est; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* **(Philip. III, 20)**. Erunt ergo tunc electorum corpora claritati dominici corporis configurata, quae etsi aequalitatem gloriae ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis ejus habebunt per gratiam. Quia itaque similitudo vitae ejus nunc in moribus trahitur electorum, et in resurrectione sequitur similitudo aeternitatis in mente, quoniam videbimus eum sicuti est; et quia similitudinem quoque illius etiam corpora nostra percipient in configuratione, dicatur recte de sanctis animalibus: *Similitudo hominis in eis.*

Haec nos in expositionis exordio praelibasse sufficiat, ut loquendi virtus silentio refota, ad indaganda mysteria quae sequuntur robustior exsurgat. Certi etenim sumus quia ipsum, de quo loquimur habemus adjutorem, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III. *Exponuntur quatuor versus, a sexto ad decimum, de sanctis praedicatoribus et de duplici eorum vita, activa et contemplativa.*

1. Sancta quatuor animalia quae per prophetiae spiritum futura praevidentur subtili narratione describuntur cum dicitur:

EZECH. I, 6.---*Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni.*

Quid per faciem nisi notitia, et quid per pennas nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur, per pennas vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae* **(Joan. X, 14)**. Qui rursus: *Ego scio quos elegerim* **(Joan. XIII, 18)**. Per contemplationem vero quia super nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur. Quatuor ergo facies uni sunt, quia si requiras quid Matthaeus de incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes. Si quaeras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthaeus. Si quaeras quid Marcus, hoc quod Matthaeus, Joannes et Lucas. Si quaeras quid Lucas, hoc quod Joannes, Matthaeus **1193** et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quae est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recte cognoscis.

2. *Et quatuor pennae uni,* quia Dei omnipotentis Filium Dominum nostrum Jesum Christum simul omnes concorditer praedicant, et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinent, penna ad divinitatem, quia in eo quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex

divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque et una fides incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur: *Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni.* Sed quae virtus esset, si fidem atque contemplationem Domini habentes praedicatores illius sancta opera non haberent? Sequitur:

VERS. 7.---*Et pedes eorum pedes recti.*

3. Quid per pedes nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quae reliquerunt reflectuntur. De quibus scriptum est: *Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti* **(Prov. XXVI, 11; II Pet. II, 22)**. Dolebat de quibusdam doctor egregius, quod pedum rectitudinem retro retorserant, quibus per increpationem dicebat: *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* **(Galat. IV, 9)**. Qui alios admonet, dicens: *Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris* **(Hebr. XII, 12)**. Ut vero in eisdem sanctis praedicatoribus vitae gravitas, fortitudo, atque discretio monstraretur, recte subjungitur:

IBID.---*Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.*

4. Quia enim praedicatores sancti boum nomine designantur docet Paulus apostolus, legis testimonium exponens: *Non obturabis os bovi trituranti* **(I Cor. IX, 9; Deut. XXV, 4)**. In sanctis ergo praedicatoribus planta pedis est vituli, scilicet mature incedens, et fortis, et divisa, quia unusquisque praedicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulae in discretione. Non enim facile praedicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis admittit, si discreta in intellectu non fuerit. Ecce enim sacram Scripturam legimus: si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amisimus; si omnia ad spiritalem allegoriam ducimus, similiter indiscretionis stultitia ligamur. Legunt enim sacra eloquia praedicatores sancti, et aliquando in historia litteram suscipiunt, aliquando vero per significationem litterae spiritum requirunt. Et modo **1194** bona facta patrum praecedentium, sicut juxta litteram inveniunt, imitantur; modo quaedam, quae juxta historiam imitanda non sunt, spiritaliter intelligunt, et ad provectum tendunt. Quid ergo aliud praedicatores sancti in suo opere nisi in pede ungulam findunt? De quibus adhuc apte subditur:

IBID.---*Et scintillae quasi aspectus aeris candentis.*

5. Aeris metallum valde sonorum est. Et recte voces praedicantium aeri comparantur, quia *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* **(Psal. XVIII, 5)**. Bene autem aes candens dicitur, quia vita praedicantium sonat et ardet. Ardet enim desiderio, sonat verbo. Aes ergo candens est praedicatio accensa. Sed de

candente aere scintillae prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem praedicatorum verba scintillae appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint incendunt. Considerandum quoque est quod scintillae subtiles sunt valde et tenues, quia cum praedicatores sancti de coelesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum ergo lingua quasi quaedam ad nos scintillae veniunt, quia de coelesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter amatur. Neque enim coelestem gloriam aut tantum videre sufficiunt quantum est, aut tantum loqui praevalent quantum vident. Candens ergo aes scintillas projicit quando vix tenuiter praedicator loqui sufficit hoc unde ipse fortiter ignescit. Divina autem pietate agitur ut ex ipsis scintillis tenuissimis audientis animus inflammetur, quia sunt quidam qui dum parva audiunt majore desiderio replentur; et inde perfecte in Dei amore ardent, unde vix tenuissimas verborum scintillas acceperunt.

6. Verbum quippe praedicationis semen in corde audientis est. Et auditor bonus inde profert postmodum magnam messem scientiae, unde parvum prius acceperat semen linguae. Cui rei bene concinit factum in vidua ab Elisaeo propheta miraculum, quae, ne duos filios auferente creditore amitteret, prophetae dictis obedivit, et ex eo quod parum olei habebat, per vasa vacua effudit, quae cuncta post usque ad summum repleta sunt, et ex eorum repletione mulier a creditoris sui debito est soluta **(IV Reg. IV, 2, seq.)**. Quae videlicet mulier quam aliam nisi sanctam Ecclesiam signat, duorum populorum, id est Judaici et gentilis, quasi duorum filiorum matrem? Quae

prius ex perverso opere per callidi spiritus persuasionem quasi quemdam peccati nummum a creditore acceperat, et duos quos in fide genuit amittere filios timebat. Sed prophetae verbis, id est Scripturae sacrae praeceptis, obediens, ex parvo quod habebat olei vasa vacua infudit, quia dum ab unius ore doctoris parum quid de amore Divinitatis multorum vacuae mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Et multorum jam nunc corda, quae prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt, quae ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod **1195** dum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, Sareptana mulier, videlicet sancta Ecclesia, sub creditoris sui jam debito non tenetur. Sequitur:

VERS. 8.---*Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partes.*

7. Possunt hoc in loco quatuor partes quatuor mundi regiones accipi, scilicet Oriens, Occidens, Meridies, et Septentrio, quia sanctorum praedicatio auctore Deo in cunctis mundi partibus est egressa.

8. Possumus etiam per quatuor partes principales quatuor virtutes accipere, ex quibus reliquae virtutes oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam atque temperantiam. Quas nimirum virtutes tunc veraciter accipimus, cum earum ordinem custodimus. Prima quippe prudentia, secunda fortitudo, tertia justitia, quarta temperantia est. Quid enim prodesse potest prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non potest facere poena magis quam virtus est. Sed qui prudenter intelligit quod agat, et fortiter agit quod intellexerit, jam procul dubio justus est; sed

ejus justitiam temperantia sequi debet, quia plerumque justitia, si modum non habet, in crudelitatem cadit. Ipsa ergo justitia vere justitia est, quae se temperantiae freno moderatur, ut in zelo quo quisque fervet, sit etiam temperans; ne si plus ferveat, perdat justitiam, cujus servare moderamina ignorat.

9. Duae autem sunt sanctorum praedicatorum vitae, activa scilicet, et contemplativa; sed activa prior est tempore quam contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major est merito quam activa, quia haec in usu praesentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Quid itaque per manus nisi activa, et quid per pennas nisi contemplativa vita signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis sub volatu contemplationis. Quod bene in Evangelio duae illae mulieres designant, Martha scilicet et Maria. *Martha etenim satagebat circa frequens ministerium; Maria autem sedebat ad pedes Domini, et verba ejus audiebat* **(Luc. X, 39, 40)**. Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi. Una activae serviebat per exterius ministerium, altera contemplativae per suspensionem cordis in verbum. Et quamvis activa bona sit, melior tamen est contemplativa, quia illa cum mortali vita deficit, ista vero in immortali vita plenius excrescit. Unde dicitur: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* **(Ibid., 42)**. Quia igitur activa minor est merito, quam contemplativa, recte nunc dicitur: *Manus hominis sub pennis eorum.* Nam etsi per activam boni aliquid agimus, ad coeleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Unde et apud Moysen activa servitus, contemplativa autem libertas vocatur.

10. Et cum utraque vita ex dono sit gratiae, quandiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad ejus regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplativa ergo **1196** vita intrare possunt ad coelestem patriam, qui bona quae possunt operari, non negligunt; sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quae possunt. Illa ergo in necessitate, haec in voluntate est. Illa in servitute, ista in libertate. Hinc est enim quod ad Moysen dicitur: *Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum toli exeat. Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul. Sin autem dederit illi dominus uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum, et uxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in saeculum* **(Exod. XXI, 2, seq.)**. Paulo latius testimonium dedimus, ut distinctionem servitutis atque libertatis in utraque vita monstraremus. Sed onerosum esse non debet si hoc exponendo exsequimur, unde haec ipsa quae diximus affirmemus.

11. Hebraeus enim transiens interpretatur. Et servus Hebraeus emitur quando unusquisque qui jam ab hoc saeculo mente transit servitio omnipotentis Domini subditur. Ille etenim vero Deo servire appetit, qui ab hoc saeculo mente transire didicerit. Sic Moyses transivit, ut videret visum **(Exod. III, 3)**. Sic David cum videret impium exaltatum et elevatum super cedros Libani, transivit, et ecce non erat **(Psal. LXVI, 35)**. Quia iniquorum potentias esse

magnum aliquid fortasse credimus, nisi ad permanens saeculum mente transeamus. Servus vero Hebraeus emptus sex annis servire praecipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum nisi activae vitae perfectio designatur? quid per septenarium nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, et septimo egreditur liber, qui per activam vitam quam perfecte exhibuerit ad contemplativae vitae libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia ii qui postquam omnia fecerint dicunt se inutiles servos **(Luc. XVII, 10)**, eis procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat, quia omnino necesse est ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit perseveret, atque usque ad finem operis in ea qua inchoavit intentione perduret. Ille quippe bene ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suae vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli qui priusquam omnipotentis Dei servitio in sancta conversatione socientur, jam bona operari diligunt. Sunt vero alii qui bona opera, postquam ad servitium omnipotentis Dei venerint, discunt. Qui ergo operationem bonam et priusquam ad Dei servitium venerit habere studuit, Hebraeus servus cum uxore emptus est.

12. Et plerumque is qui talis est potest ad contemplativam vitam transire, et tamen activam non deserere. Unde et illic subditur: *Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul.* Cum eo enim ad libertatem et uxor egreditur, quando is qui ad contemplationem pervenit etiam foris actionem boni operis qua prodesse possit aliis non relinquit. **1197** Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier

et liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Servo empto dominus dat uxorem, cum praedicator quisque eum quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonae actioni conjungit. Nam et praedicatores domini vocantur, sicut Elisaeo prophetae de praedicatore suo dicitur: *Scis quod dominus tuus tollatur a te* **(IV Reg. II, 3)**? Uxor vero servi emptitii filios et filias parit, quando bona actio fortes vel teneros fructus generat. Sed mulier quae a domino data est eidem domino cum filiis remanet, ipse vero servus exit cum vestitu suo, quia bona actio, vel ejusdem bonae actionis fructus, praedicatoris mercedi reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur: *Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum, et uxorem ac liberos; non egrediar liber* **(Exod. XXI, 5)**. Servus dominum suum diligit, quando praedicatoris verba sollicita mente custodit. Uxorem quoque amans et liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructus diligens, transire ad contemplativam non vult, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem recusat secedere. *Sed offerateum dominus diis, et applicetur ad ostium et postes, et perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in saeculum.* Is enim qui in activa disposuit vita perdurare, a domino diis offertur, quando a praedicatore suo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis Domini sacerdotes fuerunt. Atque ad ostium et postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu coelestis habitaculi altius aliquid audiat, et tremendi judicii diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera quae facit placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur, ut, verbi acumine transfixa, per omne quod agit noverit

ingressum regni semper attendere, et quasi ab ostio et poste tabernaculi perforatam aurem portare.

13. Qui erit servus in saeculum, ut esse post saeculum liber possit. In saeculum etenim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post praesens saeculum ad libertatem veram valeat pervenire. De qua per Paulum dicitur: *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Tunc enim in nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed ipsa quoque contemplatio, qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in aenigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit contemplationis angustia, activa vita jam valde est latiur atque sublimior, quae ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed aeterna. Quia itaque contemplativa vita ad superiora evolat, et activae vitae longe superest quadam, ut ita dicam, dignitate securitatis suae, apte nunc dicitur: *Et manus hominis sub pennis eorum.*

14. Sin vero hoc in loco homo Redemptor noster accipitur, manus hominis sub pennis eorum est, quia nisi Deus homo fieret, qui mentes praedicantium **1198** ad coelestia sublevasset, illa quae apparent animalia non volarent. Nec immerito manus hominis esse sub pennis dicitur, quia de eodem Redemptore nostro scriptum est: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia* **(Hebr. I, 3)**. Ejus ergo manus corda nostra portat, ejus manus in contemplatione nos sublevat. Nisi enim, ut dictum est, omnipotens Verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam Verbi excellentiam non volarent.

Inde ergo excelsae factae sunt hominum mentes, unde inter homines apparuit humilis Deus. Dicatur itaque de sanctis animalibus, dicatur: *Et manus hominis sub pennis eorum.* De quibus adhuc subditur:

VERS. 8, 9.---*Et facies et pennas per quatuor partes habebant, junctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum.*

15. Per quatuor partes facies et pennas habent, quia in cunctis mundi regionibus praedicantes demonstrant quidquid de humanitate, quidquid de divinitate nostri Redemptoris sentiunt. Quia dum incarnatum Deum ubique praedicant, in quatuor mundi partibus faciem demonstrant. Dumque eum esse unum cum Patre et Spiritu sancto annuntiant, ubique penna contemplationis volant. Quorum pennae junctae sunt alterius ad alterum, quia omnis eorum virtus, omnisque sapientia, qua caeteros homines contemplationis suae volatu transcendunt, vicissim sibi in pace atque unanimitate conjungitur. Unde scriptum est: *Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica* **(Jac. III, 17)**. Unde et eisdem suis praedicatoribus Veritas dicit: *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* **(Marc. IX, 49)**. Penna ergo animalium alterius ad alterum jungitur, quia sanctorum praedicatorum virtus atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordiae pace sociatur. Penna autem alterius ab altero divisa esset, si in hoc quod unusquisque in sapientiam evolat, habere pacem cum altero recusaret. Sequitur:

VERS. 9.---*Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.*

16. Pennata animalia **(De poen., dist. 2, c. Pennata)**, videlicet praedicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quae reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere est mente ire semper ad meliora. Quo contra de reprobis dicitur quia reversi sunt corde in Aegyptum **(Num. XIV, 3, 4)**. Et per semetipsam Veritas dicit: *Nemo mittens manum in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei* **(Luc. IX, 62)**. Manum quippe in aratrum mittere est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur quae reliquit. Quod quia electis Dei minime contingit, recte nunc per prophetam dicitur: *Non revertebantur cum incederent.*

17. Qui cur non revertantur indicat cum subjungit: *Unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ante nos enim aeterna sunt, post nos temporalia, quia et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Unde et magnum illud pennatum animal dicebat quod usque ad coeli tertii secreta volaverat: *Unum vero, quae* **1199** *retro sunt oblitus, in ea quae sunt ante extendens me, sequor ad palmam supernae vocationis* **(Philip. III, 13, 14)**. In anteriora etenim extentus, eorum quae retro sunt oblitus fuerat, quia, temporalia despiciens, sola quae sunt aeterna requirebat. Ante faciem ergo suam gradiuntur sancta animalia, quia et ea quae reliquerunt nullo jam appetitu respiciunt, et in aeternis quae appetunt sub contemplationis suae oculis boni operis pedem ponunt.

18. Quisquis itaque jam ante faciem suam ambulare decreverit, magna ei consideratione pensandum est quod aliter retro respicitur ex opere, atque aliter ex cogitatione. Sunt etenim quidam qui magna deliberant, et, peccatorum suorum conscii, multa ex his quae possident egenis distribuere pertractant, ut culpas suas ante Dei oculos misericordiae visceribus redimant. Jamque haec operari inchoant, et plerumque cum operantur paupertatis timor eorum animum concutit, atque, timentes ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, seseque ab ea quam coeperunt bona operatione suspendunt. Hi nimirum incedentes reversi sunt, quia ante faciem suam ambulare noluerunt. Contra quos recte per Salomonem dicitur: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo aestate, et non dabitur ei* **(Prov. XX, 4)**. Qui enim nunc propter pavorem mentis atque torporem bene operari negligit, cum sol justitiae in judicio velut in aestate claruerit, mendicat vitam, sed non accipit, quia propter illam bona operari contempsit. Alius, despectis carnis desideriis, cuncta relinquere et omnipotentis Dei se subdere servitio pertractat, seque ipsum restringere sub continentiae et castitatis freno deliberat; sed cum cecidisse alios etiam post castitatem conspicit, hoc ipsum facere quod deliberaverat pertimescit. Fitque ut retro per cogitationem redeat, qui ad anteriora respiciens jam mentis gressibus ad alta ibat. De quo bene per Salomonem dicitur: *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet* **(Eccle. XI, 4)**. Venti quippe nomine malignus spiritus, qui mentem tentationibus impellit; nubis vero appellatione peccator exprimitur, qui tentationis impulsione commovetur. Qui ergo **1200** attendit ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metit, quia is qui tentationes maligni spiritus

metuens, et iniquorum lapsus conspiciens, semetipsum desperat, neque nunc exercetur in bono semine operis, neque post reficietur de munere justae retributionis. Sunt vero nonnulli qui bona quidem quae noverunt operantur, atque haec operantes, meliora deliberant; sed retractantes meliora quae deliberaverant, immutant; et quidem bona agunt quae coeperant, sed a melioribus quae deliberaverant succumbunt. Hi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. Unde fit plerumque ut et bonum opus eorum minus Deo placeat, quia cum pes mentis in meliori gradu deliberationis inconstanter ponitur, hoc ipsa cogitationis inconstantia accusat. Sed quia perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora unquam vel in opere, vel in cogitatione delabantur, quantum quotidie proficiant incessanter pensant, recte de his dicitur: *Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.*

19. Inter haec igitur considerare libet nos ad ista tractanda qui sumus, et unde venimus, et usque ad quae sacri eloquii mysteria perscrutanda sublevamur. Certe in antiquis parentibus nostris cultores idolorum fuimus, sed ecce per spiritum gratiae verba jam coelestia rimamur. Unde hoc nobis? Sed implevit Redemptor humani generis quod per prophetam dixit: *Et deserta in ubertatem versa advenae comedent* **(Isa. V, 17)**. Haec quippe prophetarum dicta deserta apud Judaeos fuerunt, quia per intellectum mysticum ea excolere inquirendo noluerunt. Nobis autem in ubertatem versa sunt, quia juxta historiam visionis dicta largiente Deo menti nostrae spiritaliter sapiunt, et jam advenae comedimus

quae cives legis manducare noluerunt. Sint gratiae Unigenito, sit laus aeternae Sapientiae, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV. *In explicatione versuum decimi, undecimi et duodecimi inchoati, multa praecepta moralia, praesertim de continua in Deum intentione, et ad se attentione proponuntur.*

1. Per sanctum prophetiae spiritum pennata animalia subtiliter describuntur, ut per haec Evangelistarum significari personas ipsa nobis subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei nostro intellectui dubietatis relinquat. Ecce enim dicitur:

VERS. 10.---*Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor; et facies aquilae desuper ipsorum quatuor.*

Quod enim quatuor haec pennata animalia sanctos quatuor Evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione coepit, jure per hominem Matthaeus; quia per clamorem in deserto, recte designatur per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi coepit, digne per aquilam significatur Joannes, qui dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* **(Joan. I, 1)**, dum in ipsam Divinitatis

substantiam intendit, quasi more aquilae oculos in solem fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemptoris nostri, ipse autem Redemptor noster caput est **1201** omnium electorum, per hoc quod membra ejus figurata sunt, nihil obstat si etiam in his omnibus et ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei Filius veraciter factus est homo; ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus est mori ut vitulus: ipse per virtutem suae fortitudinis surrexit ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipsa morte in qua ex humanitate Redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad coelos, in superioribus est elevatus ut aquila. Totum ergo simul nobis est, qui et nascendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo, et ad coelos ascendendo aquila factus est. Sed quia per haec animalia evangelistas quatuor, et sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significari diximus **(Hom. 3)**, restat ut quomodo unusquisque electorum istis animalium visionibus exprimitur ostendamus.

2. Omnis etenim electus atque in via Dei perfectus, et homo, et vitulus, et leo simul et aquila est. Homo enim rationale est animal. Vitulus autem in sacrificio mactari solet. Leo fortis est bestia, sicut scriptum est: *Leo vero fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum* **(Prov. XXX, 30)**. Aquila ad sublimia evolat, et irreverberatis oculis solis radiis intendit. Omnis itaque qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus mundi voluptate mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, unde scriptum est: *Justus autem quasi leo confidens absque terrore*

erit **(Prov. XXVIII, 1)**, leo est. Quia vero sublimiter contemplatur ea quae coelestia atque aeterna sunt, aquila est. Igitur quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suae vitulus, per fortitudinem securitas leo, per contemplationem vero efficitur aquila, recte per haec sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea quae de quatuor animalibus dicta sunt, pertinere quoque etiam ad perfectorum singulos demonstremus.

3. Sed magna nobis de eisdem evangelistis et sanctis praedicatoribus quaestio oritur, cur homo et leo a dextris ipsorum quatuor, vitulus vero a sinistris ipsorum quatuor esse perhibetur. Neque enim sine admiratione est cur duo illa a dextris et unum hoc esse a sinistris dicitur. Et rursum quaerendum cur aquila non a dextris, vel sinistris, sed desuper ipsorum quatuor esse memoratur. Duas itaque nobis quaestiones objecimus, quas oportet ut aperiente Domino dissolvamus. Homo igitur et leo a dextris, vitulus vero a sinistris esse perhibetur. A dextris etenim laeta, a sinistris vero tristia habemus. Unde et sinistrum nobis esse dicimus hoc quod adversum esse deputamus. Et, sicut praefati sumus, per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem vero auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti Filii, qua redempti sumus, omnes electi laetati sunt; de morte vero illius ipsi electorum primi sancti apostoli contristati, qui iterum de ejus resurrectione gavisi sunt. Quia ergo ejus et nativitas et resurrectio laetitiam discipulis praebuit, quos ejus passio contristavit, homo et leo a dextris, vitulus vero a sinistris ejus fuisse **1202** describitur. Ipsi namque evangelistae sancti de

ejus humanitate gavisi sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo et leo eis a dextris est, quia Redemptoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus a sinistris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitate prostravit. Jure autem locus aquilae non juxta, sed desuper esse describitur, quia sive per hoc quod ejus ascensionem signat, seu quia Verbum Patris Deum apud Patrem esse denuntiat, super evangelistas caeteros virtute contemplationis excrevit; cum quibus etsi simul de ejus Deitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si aquila cum tribus aliis adjuncta, quatuor animalia esse memorantur, mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur, nisi quia Joannes per hoc quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit. Nam nisi et se transisset, Verbum in principio non vidisset **(Joan. I, 1)**. Quia ergo et semetipsum transgressus est, non jam solummodo super tria, sed adjuncto et se, super quatuor fuit. Sequitur:

VERS. 11.---*Et facies eorum et pennae eorum extentae desuper.*

4. Facies et pennae extentae desuper describuntur, quia omnis intentio omnisque contemplatio sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci quod in coelestibus appetit. Sive enim bono operi, sive vero invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc quod agit bonum est, quando ei complacere concupiscit a quo est. Nam qui bona agere videtur, et per haec non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suae faciem deorsum premit. Et qui idcirco in sacro eloquio ea quae divinitatis sunt contemplatur, ut per hoc quod intelligit occupari ad quaestiones possit, quia non dulcedine quaesitae beatitudinis

satiari appetit, sed doctus videri, iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit; sed quoniam sensus sui vigilantiam in terreno appetitu occupat, pennas quas sublevare in altum et quibus sublevari ipse potuit in imis deponit. Qua in re pensandum est, ut omne bonum quod agitur per intentionem semper ad coelestia levetur. Qui enim per bona quae facit terrenam gloriam concupiscit, pennas suas et faciem suam deorsum deprimit. Hinc etenim per prophetam de quibusdam dicitur: *Victimas in profundum deferebant* **(Osee V, 2)**. Quid enim sunt aliud lacrymae orationis, nisi victimae oblationis nostrae? sicut scriptum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* **(Psal. L, 19)**. Et sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti esse videantur. Quid isti, nisi victimas in profundum deferunt? Qui per hoc quod in imo sunt quae requirunt, orationis suae sacrificium deorsum deponunt. Electi autem qui et in bono opere omnipotenti Deo placere appetunt, et per contemplationis gratiam aeternam jam beatitudinem degustare concupiscunt, facies et pennas desuper extendunt. Sequitur:

IBID.---*Duae pennae singulorum jungebantur, et duae tegebant corpora eorum.*

5. Dictum fuerat: *Et facies et pennae eorum extentae desuper,* atque mox subjunctum est quod protulimus, quia *duae pennae singulorum jungebantur.* Ubi aperte intelligitur quia et extendebantur **1203** desuper et jungebantur, duae vero tegebant corpora eorum. Quid autem pennae animalium, nisi alae nominantur? Qua in re nobis diligenti perscrutatione quaerendum est quae sint quatuor

pennae sanctorum, ex quibus duae superius extensae junguntur, duae vero eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes invenimus quae a terrenis actibus omne pennatum animal levant, in futuris videlicet amor et spes, de praeteritis autem timor et poenitentia. Pennae ergo sibimet junctae superius extenduntur, quia sanctorum mentem amor et spes ad superna sublevant. Quae apte quoque conjunctae nominantur, quia electi procul dubio et amant coelestia quae sperant, et sperant quae amant. Duae vero corpora contegunt, quia timor et poenitentia ab omnipotentis Dei oculis eorum mala praeterita abscondunt. Duae itaque, ut dictum est, pennae junguntur sursum, quando amor et spes electorum corda ad superiora elevant, ad coelestia suspendunt. Duae autem pennae tegunt corpora, quando eorum mala praeterita a conspectu aeterni judicis timor et poenitentia abscondunt. In eo enim quod se peccasse meminerunt, quia pertimescunt et deflent, quid aliud quam corpus cooperiunt? Qui facta carnalia per superducta bona opera a districto examine abscondunt. Scriptum quippe est: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* **(Psal. XXXI, 1)**. Peccata enim tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus. Omne enim quod operitur, inferius ponitur; et hoc unde operitur, desuper ducitur. Quando ergo abdicamus mala quae fecimus, et eligimus bona quae faciamus, quasi tegimen ei rei superducimus, quam erubescimus videri.

6. Quamlibet enim sancti viri in hac adhuc vita sint, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant, quia omnino est impossibile, ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunquam delinquant. Unde et beatus Job, qui perfecta quidem

hominibus dixerat, Dei tamen vocem audiens, seque ipsum de ipsa sua perfecta locutione reprehendens, dicebat: *Manum meam ponam super os meum* **(Job. XXXIX, 34)**. In manu quippe operatio, in ore locutio est. Manum ergo super os ponere est peccata locutionis per virtutem boni operis tegere. Libet, fratres charissimi, ad hujus rei testimonium magistrum gentium vocare, et qualiter sanctum illud animal alis quatuor innitatur aspicere, ex quibus duabus ad superiora evolat; duabus vero pennis corpus contegit, quia praeterita quae egerat abscondit. Videamus igitur quantus hunc amor ad coelestia elevet: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* **(Philip. I, 21)**. Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur: *Nostra conversatio in coelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Jesum Christum Dominum nostrum* **(Ibid., III, 20)**. Videamus si et in tantis virtutibus positus adhuc timet: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* **(I Cor. IX, 27)**. Cognoscamus si hunc mala fecisse poenitet: *Ego minimus apostolorum sum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* **(I Cor. XV, 9)**. In cujus verbis quid aliud quam duritia nostrae mentis accusatur? Quia ipse plangit quod ante baptisma commiserat, nos vero et post baptisma multa commisimus, et tamen flere recusamus. Quatuor itaque pennis sancta animalia utuntur, **1204** quia per amorem et spem ad coelestia evolant, et per timorem et poenitentiam facta in se illicita deplorant.

7. Sed quia dictum est: *Duae pennae singulorum jungebantur,* hoc fortasse intelligitur, quod non pennas proprias elevantes jungant, sed unius ad alterum pennae conjunctae sint, ut pennae videlicet elevatae vicissim sibi in

conjunctione concordent. Qua in re quaestio oritur, quia si duae pennae quae elevant amorem et spem, duae vero quae corpora contegunt timorem et poenitentiam designant, cur duae quae extentae sunt dicuntur esse conjunctae, et duae quae corpus contegunt non dicuntur? Sed hac in re facilis, largiente Domino, ratio occurrit, quod sanctorum duae pennae conjunctae sunt amor et spes, duae vero quae corpora contegunt, sibimetipsis ad alterutrum conjunctae non sunt, timor et poenitentia. David enim pro lapsu carnis timendo et poenitendo affligitur **(II Reg. XII, 13)**. Petrus casum perfidiae flevit amare **(Matth. XXVI, 75)**. Paulus in se crudelitatem praeteritae persecutionis plangit **(I Cor. XV, 9)**. Omnes tamen unam patriam appetunt, ad unum auctorem omnium pervenire festinant. Duae ergo singulorum pennae conjunctae sunt, et duae non sunt, quia per amorem et spem unum est quod desiderant, sed per timorem et poenitentiam diversum est quod deplorant. Sequitur:

VERS. 12.---*Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.*

8. Dictum superius fuerat: *Unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur,* nunc autem dicitur: *Coram facie sua ambulabat.* Ipsa itaque repetita videtur esse sententia. Sed quia *coram* in praesenti dicimus (*Id est,* significat in praesenti), possumus subtilius inquirendo discernere quod aliud sit ante faciem ambulare, atque aliud in praesenti. Ante faciem quippe ambulare est anteriora appetere; in praesenti vero ambulare est sibimetipsi absentem non esse. Omnis etenim justus qui vitam suam sollicitus aspicit, et diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum a bonis decrescat, iste quia se ante se ponit, coram se

ambulat, quippe qui vigilanter videt utrum surgat, an defluat. Quisquis vero vitae suae custodiam negligit, discutere quae agit, quae loquitur, quae cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat; quia qualis sit in suis moribus, vel in actibus, ignorat. Nec sibimetipsi praesens est qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibique in praesenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit.

9. Nam sunt multa peccata quae committimus, sed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque ut et nostra gravia leviter, et proximorum mala levia graviter judicemus. Scriptum quippe est: *Erunt homines seipsos amantes* **(II Tim. III, 2)**. Et scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus. Ex quo fit ut hoc quod nos agimus, et grave esse non existimamus, plerumque agatur a proximo, et nimis nobis detestabile esse videatur. Sed quare hoc quod nobis vile videbatur in nobis grave videtur in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus sicut nos? Si enim nos sicut **1205** proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus. Et rursum si proximum aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio appareret intolerabilis, qui saepe fortasse talia egimus, et nil nos proximo intolerabile fecisse putabamus. Hoc male divisum mentis nostrae judicium corrigere per legis praeceptum Moyses studuit, cum dixit ut justus deberet esse modius, aequusque sextarius **(Levit. XIX, 36)**. Hinc Salomon ait: *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* **(Prov. XX, 10)**. Scimus quia in negotiatorum duplici pondere aliud majus, aliud minus est.

Nam aliud pondus habent ad quod pensant sibi, et aliud pondus ad quod pensant proximo. Ad dandum pondera leviora, ad accipiendum vero graviora praeparant. Omnis itaque homo qui aliter pensat ea quae sunt proximi, et aliter ea quae sua sunt, pondus et pondus habet. Utrumque ergo abominabile est apud Deum, quia si sic proximum ut se diligeret, hunc in bonis sicut se amaret. Et si sic se sicut proximum aspiceret, se in malis sicut proximum judicaret. Debemus ergo nosmetipsos sollicite sicut alios videre, nosque ipsos, ut dictum est, ante nos ponere, ut pennata animalia incessanter imitantes, ne nesciamus quid agimus, coram facie nostra semper ambulemus. Perversi autem, sicut paulo ante jam diximus, coram facie sua non ambulant, quia ea quae agunt nunquam considerant, ad interitum tendunt, in pravis actibus exsultant. De quibus scriptum est: *Qui laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* **(Prov. II, 14)**. Saepe vero justus qui eos conspicit deflet, sed ipsi phreneticorum more planguntur, et rident.

10. Alii indigentibus de rebus propriis multa largiuntur, sed cum occasionis tempus invenerint, indigentes opprimunt, eosque quibus valuerint rapinis devastant. Ponunt ante oculos cogitationis suae bona quae faciunt, et non ponunt pessima quae committunt. **1206** Hi videlicet coram facie sua non ambulant, quia si sibimetipsis praesentes essent, cuncta subtiliter quae agunt viderent, qualiter bona opera malis actibus perdant agnoscerent, sicut scriptum est: *Et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum* **(Aggae. I, 6)**. De pertuso quippe sacculo aliunde exit quod aliunde mittitur **(De poen., dist. 4, c. De pertuso)**, quia indiscretae mentes mercedem quae ex bono opere

acquiritur non aspiciunt quomodo ex malo opere perdatur. Alius castitatem corporis servat, seque vigilanter circumspicit, ne quid foris reprehensibiliter admittat, suis contentus est, aliena non diripit, sed tamen in corde odium fortasse contra proximum servat. Et cum scriptum sit: *Qui odit fratrem suum, homicida est* **(I Joan. III, 15)**, considerat quam sit mundus foris in opere, et non perpendit quam sit crudelis in mente. Quid iste nisi sibimetipsi absens est, qui in cordis sui tenebris ambulat et ignorat? Alius jam aliena non diripit, jam corpus ab immunditia custodit, jam mente pura proximum diligit, et malorum praeteritorum conscius lamentis se in precibus afficit; sed, finita prece, laeta de quibus in hoc mundo gaudeat requirit, et temporalibus gaudiis negligentem animum demittit, nec curat ne in eo lacrymarum mensuram immoderata gaudia transeant; fitque ut bonum nimie ridendo perdat, quod plangendo lucratus est. Hic itaque coram facie sua non ambulat, quia damna quae patitur conspicere recusat. Scriptum quippe est: *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia* **(Eccle. VII, 5)**. In cunctis ergo quae agimus diligenter nosmetipsos conspicere interius exteriusque debemus, ut pennata animalia sequentes, nobismetipsis praesentes simus, et coram facie nostra semper ambulemus, habentes adjutorem unicum Patris Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V. *In expositione trium versuum a duodecimo ad decimum quintum docte disscritur*

de Spiritu sancto ejusque in sanctis impulsu, motu et inhabitatione.

1. O quam mira est profunditas eloquiorum Dei! Libet huic intendere, libet ejus intima, gratia duce, penetrare. Hanc quoties intelligendo discutimus, quid aliud quam silvarum opacitatem ingredimur, ut in ejus refrigerio ab hujus saeculi aestibus abscondamur? Ibi viridissimas sententiarum herbas legendo carpimus, tractando ruminamus. In ea locutione quae ad vos, fratres charissimi, nudiustertius facta est qualiter ostensa animalia vel Redemptorem nostrum, vel quatuor ejus evangelistas atque perfectos omnes significent, dictum est. Quorum videlicet animalium adhuc subtilius virtus exprimitur, ut ad eorum imitationem nos quoque infirmi et despicabiles, in quantum, Domino largiente, possumus, extendamur. Ecce enim dicitur:

VERS. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.*

2. In electis et reprobis diversi sunt impetus. In electis videlicet impetus spiritus in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, adrapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad pefidiam, ad desperationem, ad iram, ad jurgia, ad voluptates animum impellit. Impetus vero spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiae, ad interiorem provectum, ad pietatis opera, ad aeternorum fidem, ad spem sequentis gaudii, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem vitae mortalis, ad lacrymas mentem pertrahit. Unde necesse est ut magna semper cura considerare debeamus in omne quod agimus quis nos impetus ducat;

utrum nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur. Amare enim terrena, temporalia aeternis praeponere, extoriora bona non ad usum necessarium habere, sed ad voluptatem concupiscere, ultionem de inimico quaerere, de aemuli casu gaudere, impetus carnis est. At contra, amare coelestia, contemnere terrena, **1207** non ad fructum voluptatis transitoria, sed ad usum necessitatis quaerere, de inimici morte tribulari, impetus spiritus est. Et quia perfecti quique in istis se semper virtutibus exercent, recte nunc de sanctis animalibus dicitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.*

3. Sed sciendum nobis est quod plerumque impetus carnis se sub velamine spiritalis impetus palliat, et quod carnaliter facit mentitur sibi ipsa cogitatio quia hoc spiritaliter faciat. Nam saepe quis, iracundiae stimulis victus, contra delinquentes zelo ulciscendae justitiae plus quam necesse est inflammatur, et justitiae limitem in ultione transiens agit crudeliter, quod se agere juste suspicatur. Impetus igitur carnis huic sub specie spiritus velatus est, quando hoc quod juste agi creditur sub discretionis moderamine non tenetur. Et saepe alius, nimiae mansuetudini studens, subjectorum vitia aspicit, atque haec per fervorem zeli corrigere recusat, quae in eis crudeliter non corrigendo multiplicat; fitque ut ejus lenitas et sibi sit et subjectis inimica, qui torporem mentis suae quia patientiam deputat, per carnis spiritum ab impetu spiritus elongat. Prima ergo nos cogitatio in inquisitionem nostri cordis debet excutere, ne ad quaedam quae agimus per apertum carnis impetum ducamur, ne pravis delectationibus animus seductus mala esse cognoscat, et tamen faciat. Secunda vero nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis quasi sub

impetu spiritus latenter subjiciat, et culpas quas agimus nobis virtutes fingat.

4. Sciendum vero est quia graviores culpae sunt quae superducta specie virtutes imitantur, quia illae in aperto cognitae animum in confusionem dejiciunt, atque ad poenitentiam trahunt; istae vero non solum in poenitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dum virtutes potantur. Hoc autem quod de sanctis animalibus dictum superius fuerat, ut altius confirmetur, iterum replicatur:

IBID.---*Non revertebantur cum ambularent* **(De poen., dist. 2, c. Non revertebantur)**.

5. Quia electi quique sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant: *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* **(Matth. X, 22)**. Et sicut per Salomonem dicitur: *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* **(Prov. IV, 18)**. In eorum namque animis bonum desiderium atque intellectus lucis intimae jam pars diei est, sed quia usque ad finem vitae in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando, ad regna coelestia perducti, in ea luce quam desiderant jam minus aliquid non habebunt. Sequitur:

VERS. 13.---*Et similitudo animalium, et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.*

6. Aspectus animalium carbonibus ignis ardentibus atque lampadibus comparatur. Quisquis enim carbonem tangit, incenditur, quia qui sancto viro adhaeret, ex ejus assiduitate

visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugiat, in desiderio lucis exardescat, et jam per verum amorem ardeat, **1208** qui prius in iniquitate tantum mortuus, quantum frigidus jacebat. Lampades vero lucem suam longius spargunt, et cum in alio loco sint, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiae, verbo doctrinae, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longe lateque ut lampas lucet; et quique bona ejus audiunt, quia per haec ad amorem coelestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos quasi tangendo ad amorem patriae coelestis accendunt, carbones sunt. Quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itineri, ne in peccati tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc vero inter carbones et lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci in quo jacuerint tenebras non expellunt; lampades autem, quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant.

7. Qua ex re notandum est quia sunt plerique sanctorum ita simplices et occulti, seseque in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? Qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent. Nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino sciri refugiunt. Sibimetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui et exempla virtutum praerogant, et lumen boni operis per vitam et verbum itinerantibus demonstrant, jure lampades appellantur, quia et per ardorem desiderii, et per flammam verbi, a peccatorum cordibus erroris tenebras expellunt. Qui

igitur in occulto bene vivit, sed alieno provectui minime proficit, carbo est. Qui vero, in imitatione sanctitatis positus, lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est, quia et sibi ardet, et aliis lucet. Sequitur:

IBID.---*Et haec erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens.*

8. In medio animalium discurrens ignis videtur, quia nisi ab igne veritatis pennata illa animalia calorem susciperent, ipsa in carbonum atque lampadarum similitudinem non arderent. Ignis enim nomine sanctus Spiritus significari solet. De quo in Evangelio Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* **(Luc. XII, 49)**? Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris uritur, atque in dolore poenitentiae crematur. Hinc rursum scriptum est: *Deus tuus ignis consumens est.* **(Deut. IV, 24)**. Quia enim mentem quam repleverit, eam a peccatorum rubigine mundam reddit, creator noster et ignis dicitur, et consumens. Sanctus ergo Spiritus in medio animalium splendor ignis, et de igne fulgur egrediens discurrere dicitur, quia universam Ecclesiam replens, in electorum cordibus ex seipso flammas amoris projicit, ut corusci more per terrorem feriat, et ad amorem suum corda torpentia accendat.

1209 9. Sed quia Spiritus sanctus Deus ante saecula Patri est et Filio coaeternus, quaerendum nobis est cur discurrere dicatur. Omnis etenim qui discurrit accedit ad locum in quo non fuit, et eum deserit in quo fuit. Qua igitur ratione discurrere spiritum dicamus, dum cuncta intra ipsum sint, et

locus nusquam sit ubi non sit? Sicut scriptum est: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* **(Sap. I, 7)**. Et tamen, cum laus sapientiae describeretur, adjunctum est: *Est enim in illa spiritus intellectus, spiritus unicus, multiplex, subtilis, mobilis* **(Ibid. VII, 22)**. Et paulo post: *Humanus stabilis* **(Ibid., 23)**.

10. In quibus rursum verbis magna nobis quaestio oritur, cur iste spiritus qui implet omnia simul mobilis et stabilis dicatur. Sed si ad usum consuetudinis humanae recurrimus, sensum citius loquentis invenimus. Homo quippe, qui in ea regione in qua est ubique discurrit, procul dubio ubique obviam venit, et repente ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo Spiritus, ut ubique praesentia signaretur, simul et mobilis et stabilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet, mobilis autem dicitur quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia stabilis, praesentem se omnibus exhibens mobilis appellatur. Splendor ergo ignis, et de igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus simul singulis atque omnibus praesto fit, et incendit quos contigerit, et illuminat quos incendit, ut post frigus pristinum accensi ardeant, et per ignem amoris quem acceperint flammas exemplorum reddant. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes mentes percutit, easque percutiendo excitat et inflammat, ut post amorem illus ardentes pariter et lucentes currant. Unde alias scriptum est: *Thronus ejus flamma ignis, rotae ejus ignis accensus* **(Dan. VII, 9)**. Hi enim qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia uno in loco positi, divinitatis in se praesentiam portant et ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini

in praedicatione discurrunt, rotae ejus ignis ardens sunt, quia cum ex ejus desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent et alios accendunt.

11. Potest tamen discursus atque mobilitas Spiritus requisitione alterius considerationis intelligi. In Sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe, atque charitate, et in bonis aliis, sine quibus ad coelestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiae vero virtute, doctrinae facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Adest ut eleventur, et semetipsum subtrahit ut humilientur. Adest ut eos ostensa virtute glorificet, recedit ut semetipsos subtracta ejus virtute cognoscant. Adest ut ostendat quid per ipsum sint, recedit ut patefaciat qui vel quales, remaneant sine ipso. In his itaque virtutibus sine quibus ad vitam minime pervenitur, sanctus Spiritus in electorum suorum cordibus permanet; unde **1210** recte stabilis esse perhibetur. In his vero per quas sanctitatis virtus ostenditur, aliquando misericorditer praesto est, et aliquando misericorditer recedit, unde recte mobilis nuncupatur. Discurrens ergo et mobilis Spiritus dicitur, quia in signis atque virtutibus juxta uniuscujusque votum continue non habetur. Bene autem inter sancta animalia discurrere perhibetur. Discursus quippe ad celeritatem pertinet. Inter perfectos autem discurrit spiritus, quia etsi ab eorum corde ad momentum recesserit, citius redit. Sequitur:

VERS. 14.---*Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

12. Cum superius dictum sit: *Non revertebantur cum ambularent,* qua ratione nunc dicitur: *Animalia ibant et revertebantur?* Valde sibi haec videntur esse contraria, quia *ibant et non revertebantur,* et *ibant et revertebantur.* Sed qualiter intelligendum sit citius agnoscimus si duas vitas, activam scilicet et contemplativam, sollicite discernamus. In una enim fixi permanere possumus, in altera autem intentam mentem tenere nullo modo valemus. Cum enim torporem nostrum relinquimus, nosque ipsos ad bonae operationis studium excitamus, quo alibi nisi ad activam imus? A qua reverti post nos nullo modo debemus, quia qui post illam ad torporem negligentiae, ad pravitatis nequitias quas reliquerat redit, esse sine dubio coeleste animal nescit. Cum vero ab activa vita ad contemplativam surgimus, quia diu mens stare in contemplatione non valet, sed omne quod de aeternitate per speculum et in aenigmate conspicit, quasi furtim hoc et per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tantae celsitudinis animus repulsus in semetipso relabitur. Et necesse est ut ad activam redeat, seque ipsum continue in usu bonae operationis exerceat, ut cum mens surgere ad contemplanda coelestia non valet, quaeque potest bona agere non recuset. Sicque fit ut ipsis suis bonis actibus adjuta ad superiora rursus in contemplationem surgat, et amoris pastum de pabulo contemplatae veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suavitatis Dei memoria pascitur, et foris piis actibus, intus vero sanctis desideriis nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam

redeuntibus dicitur: *Memoriam suavitatis tuae eructabunt* **(Psal. CXLIV, 7)**. Dulcedinem quippe suavitatis intimae, quia utcunque possunt, velut quodam ex corusco, praegustando tangere, ejus memoriam student recolendo semper et loquendo eructare. Unde et apte nos Psalmista admonet, dicens: *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia. Laetamini justi in Domino, et confitemini memoriae sanctitatis ejus* **(Psal. XCVI, 11, 12)**. Qui rursum ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine* **(Psal. XXX, 20)**! Quae videlicet quam magna esset nullo modo cognosceret, nisi hanc aliquatenus contemplando gustasset. Hinc iterum dicit: *Ego dixi in ecstasi mea, projectus sum a vultu oculorum tuorum* **(Ibid., 23)**. Nisi enim in mentis excessu sublevatus dulcedinem suavitatis aeternae cognovisset, in hoc adhuc mundo retentus non discerneret quam longe projectus jaceret. Ostensa ergo animalia vadunt et non revertuntur, atque vadunt et redeunt; **1211** quia sancti viri et ab activa vita quam apprehenderunt ad iniquitates non corruunt, et a contemplativa, quam tenere jugiter non possunt, in activam relabuntur. Sicut enim dictum est, ipso infirmitatis suae pondere devicti, ad semetipsos repulsi redeunt, ut euntes discant quid desiderent, et revertentes ubi jaceant sciant. Euntes intelligant ubi nondum sint, revertentes quid sint.

13. Sed qualiter haec sancta animalia redeant, demonstratur cum subditur: *In similitudinem fulguris coruscantis*. Bene autem revertentia animalia coruscanti fulguri comparantur, quia sancti viri cum ad superna contemplanda evolant, cum primitias sui spiritus in coelestis patriae amore ligant, sed gravati humanae conversationis pondere ad semetipsos redeunt, bona coelestia quae saltem per speculum contemplari

potuerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amorem intimae claritatis accendunt, quam nec videre sicut est, nec loqui praevalent sicut viderunt. Loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt et incendunt. Quasi ergo fulgur coruscans redeunt, qui, cum coelestia loquuntur, quia per eos supernum lumen intermicat, ad amorem coelestis patriae mentes audientium inflammant. More itaque coruscantis fulguris cum loquendo percutiunt, ignem spiritalis desiderii spargunt.

14. Alio quoque modo sancta animalia vadunt et redeunt. Vadunt enim cum ad insinuandam coelestis doni gratiam in praedicationem mittuntur, atque ut ad fidem trahant, mira coram infidelibus faciunt; sed redeunt, quia, haec omnipotentis Domini virtuti tribuentes, sibimetipsis quae fecerint non ascribunt. Cum enim stupenda faciunt, fulgur sunt, quia corda intuentium concutiunt, terrent, illuminant, et accendunt. Unde scriptum est: *In lumine jacula tua ibunt, in splendore fulguris armorum tuorum* **(Habac. III, 11)**. Jacula Domini sunt verba Sanctorum, quae corda peccantium feriunt. Sed ista jacula habent arma. Scitis, fratres, quia praeliatores viri jacula mittunt, armis vero muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt, ne ipsi feriantur: *In lumine jacula tua ibunt,* quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias sanctorum doctorum facta miraculorum, recte subjungitur: *In splendore fulguris armorum tuorum,* quia dum addis eis arma miraculorum, mentes persequentium fulgurant, ut eos persequi non praesumant. Haec itaque animalia vadunt et revertuntur in similitudinem fulguris coruscantis, quia postquam mira sancti inter homines faciunt, postquam corda audientium sparso

lumine incendunt, ad dandam auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant per quem se posse talia sciunt.

1212 15. Sic Petrus, cum, sanato homine qui claudus ex utero matris fuerat, signum fecit quod omnes qui cognoscerent valde mirarentur, dixit: *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum* **(Act. III, 12, 13)**. Et paulo post: *In fide nominis ejus hunc quem vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus* **(Ibid., 16)**. Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit; sed humilitatem custodiens, et laudem auctori reddens, quasi unde venerat rediit, quia lux fulguris unde fuerit ostendit. Sancta itaque animalia cum ad signa operanda veniunt, et cum ad reddendam auctori suo gloriam intus apud semetipsa redeunt, fulgur sunt, quia et ostendendo miracula, et exempla humilitatis praebendo, mentes intuentium feriunt et incendunt.

16. In omne autem quod faciunt, idcirco semper ad laudem Creatoris redeunt, ut in ea virtute quam accipiunt, vera stabilitate persistant. Nam si quid sibi tribuerent, in hoc quod acceperant, stare non possent. Unde bene etiam per Salomonem dicitur: *Ad locum de quo exeunt flumina revertentur ut iterum fluant* **(Eccle. I, 7)**. Sive enim in virtutibus, seu in doctrina, quid aliud sunt sancti viri quam flumina quae terram cordis carnalium aridam rigant? Sed sive in operatione quam faciunt, seu in doctrinae verbis, citius siccarentur, nisi per intentionem cordis semper sollicite ad locum de quo exeunt redirent. Si enim introrsus ad cor non redeant, ac sese in amore conditoris desideriorum vinculis non

astringant, et manus ab eo quod agebat deficit, et lingua ab eo quod loquebatur arescit. Sed intus semper per amorem redeunt, et hoc quod in publico operantes atque loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt. Amando enim discunt quod docendo proferunt. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant, quia aquam sapientiae inde semper hauriunt unde oritur, ne cum cucurrerit exsiccetur. Per omne ergo quod agimus ad fontem veri luminis sollicita mente redeamus. Reddamus Creatori nostro gratias de bonis quae accipimus, eique cum Isaia propheta suppliciter dicamus: *Omnia opera nostra operatus es nobis* **(Isai. XXVI, 12)**. Bona enim nostra ejus sunt opera, cujus visceribus non suffecit ut nos erigeret, nisi et semetipsum pro nobis inclinaret. Si enim coaeternus Patri Deus ante saecula non fieret homo in tempore, quando homo temporalis saperet aeterna? Descensio ergo veritatis ascensio lacta est humilitatis nostrae. Demus ei gloriam, demus laudem, qui vivit cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI. *Explanantur versus 15, 16, 17, cum media decimi octavi parte; deflexo ad sacrae Scripturae, ad Evangelii praesertim commendationem, prophetici sermonis sensu.*

1213 1. Tenebrosa *aqua in nubibus aeris* **(Psal. XVII, 12)**, quia obscura est scientia in prophetis. Sed Salomonis voce

attestante didicimus: *Gloria regum celare verbum, et gloria Dei est investigare sermonem, quia et honor est hominum eorum secreta abscondere, et gloria Dei est mysteria sermonis ejus aperire* **(Prov. XXV, 2)**. Ipsa autem per se Veritas discipulis dicit: *Quae dico vobis in tenebris, dicite in lumine* **(Matth. X, 27)**; id est, aperte exponite quae in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnae vero utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat quod capere non posset otiosus. Habet quoque adhuc aliud majus, quia Scripturae sacrae intelligentia, quae si in cunctis esset aperta vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quaesita. Ecce enim sancti Ezechielis nunc voce dicitur:

VERS. 15.---*Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.*

2. Quid autem rota, nisi sacram Scripturam signat, quae ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, et nullo erroris angulo a praedicationis suae via retinetur? Ex omni autem parte velvitur, quia inter adversa et prospera recte et humiliter incedit. Circulus quippe praeceptorum illius modo sursum, modo deorsum est, quae perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et ipsa quae parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt. Quis namque parvulorum in facto Esau et Jacob, quod alter ad venatum mittitur ut benedicatur, alter vero per suppositionem matris a patre benedicitur **(Genes. XXVII, 3, 28)**, nisi juxta sacrae lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia si ad intellectum paulo subtilius

astringatur, videt quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem subripuit, sed sibi debitam accepit, quam, concedente fratre, datae lentis mercede emerat.

3. At vero si quis altius sentiens utrorumque facta velit per allegoriae arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quod Isaac de majoris filii sui venatione vesci concupiscit, nisi quod omnipotens Deus Judaici populi bona operatione pasci desideravit? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit, quia dum Judaicus populus bona opera foris quaerit, gentilem populum mater gratia instruxit, ut omnipotenti patri cibum boni operis offerret, benedictionemque majoris fratris acciperet. Qui eosdem cibos ex domesticis animalibus praebuit, quia gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis **1214** non quaerens, per vocem Prophetae dicit: *In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam, laudationes tibi* **(Psal. LV, 12)**. Quid est quod idem Jacob manus ac brachia et collum haedinis pellibus texit, nisi quod haedus pro peccato offerri consuevit? Et gentilis populus carnis quidem in se peccata mactavit, sed coopertum se peccatis carnalibus confiteri non erubuit Quid est quod vestimentis fratris majoris induitur, nisi quod sacrae Scripturae praeceptis quae majori populo data fuerant in bona operatione vestitus est? Et eis minor in domo utitur, quae major foras exiens intus reliquit, quia illa gentilis populus praecepta tenet in mente, quae Judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est quod Isaac eumdem filium nescit quem benedicit, nisi hoc quod de gentili populo Dominus per Psalmistam dixit: *Populus quem non cognovi, servivit mihi, ob auditum auris obedivit mihi* **(Psal. XVII, 45)**? Quid est quod

praesentem non vidit, et tamen quae ei in futuro veniant vidit, nisi quod omnipotens Deus, cum per prophetas suos praediceret gentilitati gratiam praerogandam, eam et in praesenti per gratiam non vidit, quia tunc in errore dereliquit, et tamen quia hanc quandoque collecturus erat, per benedictionis gratiam praevidit? Unde et eidem Jacob, gentilis populi figuram tenenti, in benedictione dicitur: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Deus* **(Genes. XXVII, 27)**. Sicut enim in Evangelio Veritas dicit, *Ager est hic mundus* **(Matth. XIII, 38)**, et quia gentilis populus ad fidem perductus per electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filii odor est agri pleni.

4. Aliter namque olet flos uvae, quia magna est virtus et opinio praedicatorum quae debriant mentes audientium; aliter flos olivae, quia suave est opus misericordiae quod more olei refovet et lucet; aliter flos rosae, quia mira est fragrantia quae rutilat et redolet ex cruore martyrum; aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis; aliter flos violae, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et coelestis regni purpuram in mente servant; aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum qui justitiam esuriunt praeparatur. Quia ergo gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, et ex eis virtutibus quas agit omnes qui intelligunt odore bonae opinionis replet, dicatur recte: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adjungat: *Cui benedixit Dominus Deus.*

1215 5. Et quoniam idem electorum populus per quosdam etiam in contemplationem surgit, per quosdam vero in activae vitae solummodo opera pinguescit, recte illic additur: *Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae* **(Genes. XXVII, 28)**. Ros enim desuper et subtiliter cadit. Et toties de rore coeli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimae de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum vero bona opera etiam per corpus agimus, de terrae pinguedine ditamur.

6. Quid est autem quod Esau tarde ad patrem redit, nisi quod Judaicus populus ad placendum Domino sero revertitur? Cui et hoc in benedictione dicitur: *Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo* **(Ibid., 40)**. Quia a servitute peccati Judaicus populus in fine liberatur, sicut scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* **(Rom. XI, 25)**.

7. Quem non parvulorum ipsa evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri praecepit, eamdemque aquam protinus in vinum vertit **(Joan. II, 7)**? Sed cum haec vigilantiores ingenio audiunt, et sacram historiam credendo venerantur, et quid interius innuat requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed impleri hydrias aqua jubet, quia prius per sacrae lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriae mysterium in spiritalem nobis intelligentiam commutatur. Rota ergo quasi per terram trahitur, quia parvulis humili sermone concordat, et tamen magnis spiritalia infundens, quasi circulum in altum levat; et inde sursum erigitur, unde terram tangere paulo ante videbatur.

8. Quia vero undique aedificat, quasi per circulum rota currit. Unde et in lege scriptum est: *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus et calamos, scyphos et sphaerulas ac lilia ex ipso procedentia* **(Exod. XXV, 31; XXXVII, 17)**. Quis in candelabro nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infulsit lumine divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator in quibus jaceret tenebris videret. Qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur, quia et Redemptor noster qui ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum dolores pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia et peccatum non habuit, et tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animae quo percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quae nos sumus, quotidie percussionibus proficit, quia dum nos tundimur et afficimur ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit. De cujus corpore scriptum est: *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit* **1216** *in augmentum Dei* **(Coloss. II, 19)**. Corpus quippe illius nos omnes sumus. Per nexus vero et conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, ac membra caetera membris inhaerent, corpus omne perficitur, sicut sancti apostoli, quia Redemptori nostro propinqui steterunt, quasi pectus capiti adhaesit. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subjuncti sunt per bona

opera, manus brachiis inhaeserunt. Hoc vero omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur in coelo, quia cum ad eum illuc electae animae ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur: *Subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* **(Ibid.)**, quia Deus omnipotens redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursum scriptum est: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* **(Ephes. IV, 13)**. Hastile vero ejusdem candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quae corpus ejus est, quia inter tot adversa liber stat. Calami autem qui de hastili prodeunt, praedicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quae a sanctis praedicatoribus vino scientiae replentur? Sphaerula autem quid est aliud nisi volubilitas praedicationis? Sphera enim ex omni parte volvitur. Et praedicatio, quae nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphaera est, quia est et inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit.

9. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus exsequamur, bene post calamos, scyphos et sphaerulas, in candelabro lilia describuntur, quia post eam quam diximus praedicationis gratiam atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quae animabus sanctis, id est floribus vernat aeternis. Sphaerulae ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionem. Itaque sicut apud Moysen sphaerula, doctrina praedicationis accipitur; ita

hic per rotam ipsa sacra Scriptura signatur. Propheta igitur dum sancta animalia videret, adjunxit: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.*

10. Qua in re quaerendum est, cum inferius rotae describuntur, cur una rota prius apparuisse dicitur, nisi quia antiquo populo Vetus solummodo Testamentum datum est, quod ad erudiendam mentem illius quasi rota volveretur? Bene autem rota eadem super terram apparuisse dicitur. Peccanti enim homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* **(Genes. III, 19)**. Rota ergo super terram apparuit, quia Deus omnipotens legem super corda peccantium dedit. Sed quia haec pennata animalia sanctos, ut ante diximus, evangelistas designant, quomodo prius animalia, et postmodum rota una aspicitur, cum ante Testamentum Vetus fuerit, et postmodum **1217** sancti evangelistae secuti sint? Sed intelligere in his possumus quod illi prius a propheta visi sunt qui merito transcendunt. Nam quanto sanctum Evangelium Testamentum Vetus praecellit, tanto et praedicatores ejus in descriptione prophetica praeferri debuerunt.

11. Quamvis sit adhuc aliud quod in hac descriptione considerari debeat, quia prophetiae spiritus sic intra semetipsum anteriora et posteriora simul colligit, ut haec simul prophetae lingua proferre non possit. Sed ampla quae videt de dispertitis sermonibus emanat, et nunc ultima post prima, nunc vero prima post ultima loquitur. Unde Ezechiel propheta sub figura sanctae universalis Ecclesiae, et evangelistarum gloriam per quatuor animalium similitudinem videt, et tamen repente illa subjungit, quae anterioribus temporibus gesta sunt, ut patenter indicet simul se vidisse quod carnis lingua non sufficeret simul dicere. Quia vero per

quatuor animalia etiam perfectos omnes significari diximus, considerandum quoque est quosdam sanctorum et ante legem fuisse, qui naturali lege districte viverent, et omnipotenti Domino placerent. Post animalia ergo rota describitur, quia electorum multi apud omnipotentem Dominum perfecti et ante legem fuerunt. Sin vero animalia solos, ut diximus, Evangelistas debemus accipere, est adhuc aliud quod considerare debeamus. Videbat enim sanctus propheta quia haec ipsa verba quae obscuritatibus obvoluta proferebat, non Judaico populo, sed gentibus panderentur. Nobis igitur loquens prius animalia et post rotam describere debuit, quia nos ad fidem Domino largiente venientes, non per legem Evangelium, sed per sanctum Evangelium legem didicimus. Ubi vero, vel qualis rota apparuerit, adjungit cum dicit:---VERS. 15.---*Juxta animalia habens quatuor facies.* Ubi adhuc subditur:

VERS. 16.---*Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris; et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae.*

12. Quid est hoc, quod cum una rota diceretur, paulo post adjungitur, *Quasi si sit rota in medio rotae,* nisi quod in Testamenti Veteris littera Testamentum Novum latuit per allegoriam? Unde et rota eadem quae juxta animalia apparuit quatuor facies habere describitur, quia Scriptura sacra per utraque Testamenta in quatuor partibus est distincta. Vetus etenim Testamentum in lege et prophetis, Novum vero in Evangeliis atque apostolorum Actibus et dictis. Scimus autem quia ubi faciem intendimus, ibi quod necesse est videmus. Rota ergo quatuor habet facies, quia prius resecanda mala in populis vidit per legem, postmodum vidit per prophetas,

subtilius vero per Evangelium, ad extremum autem per apostolos ea quae in culpis hominum resecarentur aspexit. Potest quoque intelligi quod quatuor facies rota habeat, propter hoc quod Scriptura sacra per gratiam praedicationis extensa in quatuor mundi partes innotuit. Unde et bene rota eadem una prius juxta animalia apparuisse et postmodum quatuor facies habuisse describitur, quia nisi lex Evangelio concordaret, in quatuor mundi partibus **1218** non innotesceret.

13. Sequitur: *Et aspectus rotarum, et opus earum quasi visio maris*. Recte sacra eloquia visioni maris similia narrantur, quia in eis magna sunt volumina sententiarum, cumuli sensuum. Nec immerito mari similis Scriptura sacra dicitur, quia firmantur in ea sententiae locutionis, sacramento baptismatis. Vel certe considerandum est quia navibus in mare navigamus, cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra de qua scriptum est: *Portio mea in terra viventium* **(Psal. CXLI, 6)**? Ligno autem, ut dixi, evehitur qui mare transit. Et scimus quia sacra Scriptura lignum crucis per legem nobis praenuntiat, cum dicit: *Maledictus omnis qui pendet in ligno* **(Deut. XXI, 23)**. Quod Redemptori nostro Paulus attestatur, dicens: *Factus pro nobis maledictum* **(Galat. III, 13)**. Per prophetas quoque lignum annuntiat, cum dicitur: *Dominus regnabit a ligno* **(Psal. XCV, 10)**. Et rursum: *Mittamus lignum in panem ejus* **(Jerem. XI, 9)**. Per Evangelium vero lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa Domini passio quae prophetata est declaratur. Per apostolos autem haec eadem crux etiam in verbis et operibus tenetur, cum Paulus dicit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* **(Galat. VI, 14)**. Et rursus: *Mihi*

autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi **(Ibid., 14)**. Nobis ergo qui ad aeternam patriam tendimus Scriptura sacra per quatuor suas facies mare est. Quae crucem annuntiat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem mari Scripturam sacram similem cerneret propheta, minime dixisset: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientis* **(Isai. XI, 9)**. Sequitur:

VERS. 16.---*Et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae.*

14. Una similitudo ipsarum est quatuor, quia quod praedicat lex, hoc etiam prophetae; quod denuntiant prophetae, hoc exhibet Evangelium; quod exhibuit Evangelium, hoc praedicaverunt apostoli per mundum. Una ergo est similitudo ipsarum quatuor, quia divina eloquia etsi temporibus distincta, sunt tamen sensibus unita.

15. *Et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae.* Rota intra rotam est Testamentum Novum, sicut diximus, intra Testamentum Vetus, quia quod designavit Testamentum Vetus, hoc Testamentum Novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar, quid est quod Adam dormiente Eva producitur **(Genes. II, 21, 22)**, nisi quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, et ligna portat, arae superimponitur et vivit **(Genes. XXII, 6)**, nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus lignum sibi crucis ipse portavit? Et sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. Quid est quod homicida post mortem summi pontificis absolutus ad terram propriam redit **(Num. XXXV, 25; Josue XX, 6)**, nisi quod humanum genus quod

peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri peccatorum suorum vinculis solvitur, et in paradisi possessione reparatur? Quid est quod in tabernaculo propitiatorium fieri jubetur **(Exod. XXV, 17)**, super quod duo cherubim, unum a summitate una, et alterum a summitate alia, ex auro mundissimo ponuntur expandentes alas, **1219** et operientes oraculum, qui se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium **(Exod. XXV, 20)**, nisi quod utraque Testamenta ita sibi in Mediatore Dei et hominum congruunt, ut quod unum designat, hoc alterum exhibeat? Quid enim per propitiatorium, nisi ipse Redemptor humani generis designatur? De quo per Paulum dicitur: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* **(Rom. III, 25)**. Quid vero per duo Cherubim, quae plenitudo scientiae dicuntur, nisi utraque Testamenta signata sunt? Ex quibus unum a summitate una propitiatorii, aliud vero a summitate altera stat, quia quod Testamentum Vetus de incarnatione nostri Redemptoris coepit prophetando promittere, hoc Testamentum Novum perfecte narrat expletum. Duo autem cherubim ex auro mundissimo facta sunt, quia utraque Testamenta pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas, et oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sumus, a culpis imminentibus, Scripturae sacrae aedificatione protegimur. Cujus dum sententias sollicite aspicimus, ab errore ignorantiae, ejus alis velamur. Duo ergo cherubim se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quia utraque Testamenta in nullo a se discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent, quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum Mediatorem Dei et hominum vident. Facies quippe a semetipsis cherubim

averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de Mediatore Dei et hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Rota ergo in medio rotae est, quia inest Testamento Veteri Testamentum Novum. Et, sicut saepe jam diximus, quod Testamentum Vetus promisit, hoc Novum exhibuit; et quod illud occulte annuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia ergo Testamenti Novi, Testamentum Vetus est; et expositio Testamenti Veteris, Testamentum Novum. Sequitur:

VERS. 17.---*Per quatuor partes earum ibant, et non revertebantur.*

16. Quo alibi divina eloquia, nisi ad corda hominum vadunt? Sed per quatuor partes euntes ibant, quia Scriptura sacra per legem ad corda hominum vadit, signando mysterium. Per prophetas vadit paulo apertius, prophetando Dominum. Per Evangelium vadit, exhibendo quem prophetavit. Per apostolos vadit, praedicando eum quem Pater pro nostra redemptione exhibuit. Habent ergo rotae facies et vias, quia ostendunt sacra eloquia notitiam praeceptorum cum exhibitione operum. Et per quatuor partes vadunt, quia distinctis, ut praediximus, temporibus loquuntur, vel certe quia in cunctis mundi regionibus incarnatum Dominum praedicant. De quibus aperte mox subditur:

IBID.---*Et non revertebantur, cum ambularent.*

17. Haec superius de animalibus dicta sunt, sed non eadem intelligi de rotis quae de animalibus possunt. Rotas quippe signare Testamenta diximus. Et Testamentum Vetus

ambulavit quidem, quia per praedicationem ad mentes hominum venit, **1220** sed post semetipsum reversum est, quia juxta litteram in praeceptis suis et sacrificiis usque ad finem servari non potuit. Non enim sine immutatione permansit, cum in eo spiritalis intelligentia defuit. Sed cum Redemptor noster in mundum venit, hoc spiritaliter fecit intelligi, quod carnaliter invenit teneri. Itaque dum spiritaliter littera ejus intelligitur, omnis in eo illa carnalis exhibitio vivificatur. Testamentum vero Novum etiam per Testamenti Veteris paginas testamentum aeternum appellatum est, quia intellectus illius nunquam mutatur. Bene ergo dicitur quod rotae euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent, quia dum Novum Testamentum non rescinditur, dum Vetus jam spiritaliter intellectum tenetur, post se non redeunt, quae usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo, sed non revertuntur, quia sic spiritaliter ad cor nostrum veniunt, ut eorum praecepta vel studia ulterius non mutentur. Sequitur:

VERS. 18.---*Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus.*

18. Quid est quod in Scripturae sacrae eloquiis tria haec inesse narrantur, ut staturam, altitudinem et horribilem aspectum, id est terribilem habere memorentur? Quaerendum nobis magnopere est quae divinae Scripturae statura, quae altitudo, qui horribilis aspectus dicitur. Sciendum ergo est quia stare ad vitam congruit bene operantis. Unde per Paulum dicitur: *Qui stat, videat ne cadat* **(I Cor. X, 12)**. Qui etiam discipulis dicit: *Sic state in Domino, charissimi* **(Philip. IV, 1)**. Et propheta, qui se vita ac moribus ante Dominum stare videbat, ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* **(IV Reg.**

III, 14). Altitudo vero est, coelestis regni promissio. Ad quam tunc pertingitur, quando jam mortalis vitae omnis corruptio subjugatur. Horribilis vero aspectus est terror gehennae, quae sine fine reprobos cruciat, et semper in cruciatu conservat. Statura ergo in rectitudine praeceptionis est, altitudo in celsitudine supernae promissionis, horribilis vero aspectus in minis atque terroribus supplicii sequentis. Scriptura igitur sacra staturam habet, quia mores ad standum dirigit, ut auditorum mentes ad terrenam concupiscentiam non curventur. Altitudinem habet, quia in coelesti patria aeternae vitae gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet, quia omnibus reprobis gehennae supplicia minatur. Ostendit igitur staturam suam in aedificatione morum, ostendit altitudinem in promissione praemiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in praeceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. Habet staturam cum per prophetam dicit: *Quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillum, defendite viduam* **(Isai. I, 17)**. Et rursum: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et domesticos seminis tui ne despexeris* **(Ibid. LVIII, 7)**. Habet altitudinem cum per eumdem prophetam dicit: *Non erit tibi sol amptius ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam* **(Ibid. LX, 19)**. Habet horribilem aspectum **1221** cum, infernum describens, dicit: *Dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion; et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur; et erit terra in picem ardentem, nocte et die non exstinguetur in sempiternum* **(Isai. XXXIV, 8, seq.)**. Quam beatus quoque

Job describit, dicens: *Terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans* **(Job. X, 21, 22)**. Habet staturam cum per eam Dominus propitius pollicetur, dicens: *Sicut coeli novi et terra nova, quae ego stare facio coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum et nomen vestrum* **(Isai. LXVI, 22)**. Illi enim veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Habet altitudinem cum statim subdit: *Et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato, et veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus* **(Ibid., 23)**. Quid est mensis nisi perfectio dierum? Et quid est Sabbatum nisi requies in qua fieri opus servile non liceat? Mensis ergo ex mense est, quia qui hic perfecte vivunt, illuc ad perfectionem gloriae perducuntur. Sabbatum vero ex Sabbato est, quia qui hic cessant a perverso opere, illic quiescunt in coelesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum cum protinus adjungit: *Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* **(Ibid., 24)**. Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire! De hoc horribili aspectu rotarum bene per Sophoniam dicitur, cum supervenire duris mentibus dies judicii denuntiatur: *Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amora, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris* **(Soph. I, 14)**.

19. Sed quia exterioris rotae dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoque staturam, altitudinem, et horribilem aspectum proferre debeamus. Habet quippe rota interior staturam suam cum per sanctum Evangelium ad terrena desideria incurvare nos prohibet, Redemptoris nostri vocibus dicens: *Attendite ut non graventur corda vestra in crapula et ebrietate, aut in curis hujus vitae* **(Luc. XXI, 34)**. Habet altitudinem cum de eodem Redemptore promittit, dicens: *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* **(Joan. I, 12)**. Quid enim hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius creatoris? Habet horribilem aspectum cum de reprobis loquitur, dicens: *Ibunt hi in supplicium aeternum* **(Matth. XXV, 46)**. Habet staturam cum Veritas discipulos admonet, dicens: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos non veterascentes* **(Luc. XII, 33)**. Habet promissionis altitudinem cum dicit: *Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum* **(Matth. VIII, 11)**. Habet horribilem aspectum cum subdit: *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* **(Ibid., 12)**. Quibus **1222** rursum voce Veritatis dicitur: *Vos in peccatis vestris moriemini* **(Joan. VIII, 21, 24)**. Habet staturam cum primi pastoris vocibus dicit: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem* **(II Petr. I, 5)**. Habet altitudinem cum paulo post dicit: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini et Salvatoris nostri*

Jesu Christi **(Ibid., 11)**. Qui rursus bonis pastoribus pollicetur, dicens: *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam* **(I Petr. V, 4)**. Habet horribilem aspectum cum dicit: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua coeli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur* **(II Petr. III, 10, 6)**. Cum haec igitur omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei per quam coeli ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent? Habet staturam cum per Paulum nos a terrenis desideriis erigit, dicens: *Mortificate membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est idolorum servitus* **(Coloss. III, 5)**. Habet altitudinem cum promittit, dicens: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* **(Ibid., 3)**. Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: *In revelatione Domini nostri Jesu Christi de coelo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus* **(II Thess. I, 7)**. Habet staturam cum nos admonet, dicens: *Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes* **(I Thess. V, 15)**. Habet altitudinem cum promittit, dicens: *Si commorimur, et convivemus, si sustinemus, et conregnabimus* **(II Tim. II, 11)**. Et rursum: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* **(Rom. VIII, 18)**. Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: *Terribilis*

quaedam exspectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios **(Hebr. X, 27)**. Qui rursus ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* **(Ibid., 31)**. Quae omnia brevi quoque sententia stringit, dicens: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum* **(Ephes. III, 18)**. Lata quippe est charitas, quia et inimicorum dilectionem capit, et per eam charitatem qua nos Deus omnipotens late diligit etiam longanimiter portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis a creatore nostro conspicimus exhiberi. Latitudo itaque et longitudo ad staturam pertinet, quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala charitas longanimiter portet. Sublimitas autem est aeternorum illa remuneratio praemiorum, de cujus immensitate dicitur: *Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* **(I Cor. II, 9)**. Habet ergo in sublimitate altitudinem, quia aeterna **1223** sanctorum gaudia nulla nunc praevalent cogitatione penetrari. Profundum quoque est illa inaestimabilis damnatio suppliciorum, quae eos quos susceperit in ima demergit. In quibus sacra eloquia horribilem aspectum habent, quia inaestimabilem terrorem audientibus incutiunt, cum supplicia inferni loquuntur. Bene ergo dicitur: *Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus,* quia Scriptura sacra in utroque Testamento **1224** et admonendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis.

Haec nos, fratres charissimi, hodierna die largiente Domino, dixisse sufficiat, ut ad disserenda ea quae subjuncta sunt otio reparati redeamus, in auctore omnium Deo et Domino nostro

Jesu Christo confidentes, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII. *Exponitur versus 18 cum quinque sequentibus, maxime de sacrae lectionis utilitate, et de exhibendis ea cautione charitatis officiis, ut nobis potissimum per poenitentiam intendamus.*

1225 1. Sicut nostis, fratres charissimi, consuetudo prophetiae est nunc ista, nunc illa aspicere, et ab aliis in aliud subito verba derivare, sicut Psalmista cum de Domino loqueretur, dicens: *Deus judex justus, fortis et longanimis, nunquid irascitur per singulos dies? Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum; et in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit* **(Psal. VII, 12, seq.)**; repente subjungit: *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem; lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit* **(Ibid., 15)**. Ecce cum Domini narraret justitiam, quasi non mutata voce, repente peccatoris intulit culpam. Quod unum me exempli causa dixisse sufficiat, quia quisquis in prophetis usum lectionis habet, quam crebro ista faciant non ignorat. Unde nunc Ezechiel propheta cum de rotis loqueretur, adjunxit:

VERS. 18.---*Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor.*

2. Qui enim non ipsarum, sed *ipsorum* dixit, profecto indicat quia repente sermo ejus a rotis ad animalia rediit. Per quae nimirum perfecti quique, ut praedictum est, designantur. Corpora itaque animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens vehementer invigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant. Circumspecta ergo est vita sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit, quia saepe superbia excedit in verbis, et videri appetit libertas puritatis. Ne sic sit humilis, ut formidolosa, quia aliquando timor restringit animum, et loqui quae recta sunt non praesumit, sed tamen in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat. Ne sic sit parca, ut tenax sit, quia plerumque tenacia parcimonia appetit aestimari, ut juste ac necessarie videatur tenere quidquid egenti proximo misericorditer non vult impendere. Ne sic sit misericors, ut effusa sit, quia nonnunquam effusionem esse misericordiam putat. Aliud enim est pietatis studio necessaria proximis dare, atque aliud ea quae **1224** possidentur sine mercedis intentione dispergere. Quidquid ergo agitur, in radice intentionis pensandum est quo merito apud judicium creatoris habeatur. Unde et idem creator dicit: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* **(Luc. XI, 34)**. Oculum videlicet intentionem, corpus vero actionem nominans. Quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in ejus judicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia sancti viri solerter invigilant ut se undique aspiciant, et ubique custodiant, ne aut mala propter ea ipsa appetant, aut haec eadem sub specie bonorum agant, scilicet ne se eis vitia virtutes esse mentiantur, totum corpus plenum in circuitu oculis habent, quia omnis

eorum actio providentia sollicitudinis et repletur et circumdatur.

3. Hinc est quod Paulus apostolus dum cuidam poenitenti de perpetrato facinore Corinthios prospiceret voluisse misereri, ait: *Si cui aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus* **(II Cor. II, 10)**. Si enim parcendum erat, cur se humilitate tanta voluntati discipulorum magister egregius sociat, ut neque ipse discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa divisi viderentur, nisi quia sollicito providentiae oculo attendit, quod plerumque dum alter donat, alter irascitur? Et quale est jam misericordiae sacrificium, quod cum discordia proximi offertur? Unde recte ait: *Ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Quia videlicet inde alterius cordi rixae malum solet immittere, unde alterum conspicit pietatis negotium fecisse. Imperfectum enim bonum est quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere mali subrepat non attendatur, nisi forte hoc quod sine cujuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse.

4. Hoc vero ideo dicimus, ut notum vestrae dilectioni faciamus quia in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui, dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma **1225** proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens: *Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, an ab alienis* **(Matth. XVII, 24, 25)**? Cui cum diceretur *Ab alienis,* illico respondit: *Ergo liberi sunt filii.* Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum

cuiquam faceret, subdidit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te* **(Ibid., 26)**. Qui rursum cum diceret quia *omne quod in os intrat non coinquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Pharisaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* **(Matth. XV, 11, seq.)** *At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum.* Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit; et rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit.

5. Ex qua re nobis considerandum est quia, in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur. Corpora ergo animalium plena sunt oculis cum se hinc inde caute circumspiciunt.

6. Sed sciendum nobis est quia saepe, dum aliis rebus intendimus, fit ut alias negligamus; et ubi negligimus, ibi procul dubio oculum non habemus. Nam Pharisaeus ille qui ascenderat in templum orare, testante Evangelio, quid dixit agnovimus. Ait enim: *Deus, gratias ago tibi* **(Luc. XVIII, 11)**. Recte autem gratias Deo agebat, a quo acceperat bona quae fecerat. Qui etiam subjungit: *Quia non sum sicut caeteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus; jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quae possideo* **(Ibid., 12)**. Ecce ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias

oculum Pharisaeus habuerat, sed ad humilitatis custodiam oculum non habebat. Et quid prodest quod contra hostium insidias pene tota civitas caute custoditur, si unum foramen apertum relinquitur, unde ab hostibus intretur? Quid ergo prodest custodia quae pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci unius aperitur? Pharisaeus autem qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum in suae civitatis custodia vigilavit. Sed quia unum in se foramen superbiae non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. Quia ergo sanctorum mentes undique se circumspicientes invigilant, atque in omni suo opere pavoris et sollicitudinis oculum circumducunt, ne aut prava agant, aut recta quae praecepta sunt non agant, aut bonis actibus expletis, in suis cogitationibus intumescant, et tanto gravius offendant quanto justi videntur foris et occultius peccant, recte dicitur: *Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu.*

7. Sciendum quoque quod in translatione veteri non habetur: *Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu,* sed dicitur: *Dorsa eorum plena oculis.* **1226** Quae videlicet sententia ab aedificationis intellectu non discrepat. Ea enim quae sunt in facie saepe etiam peccatores homines custodire solent. Justi autem viri, quia se et in eis custodiunt quae in promptu et in facie non videntur, in dorsis oculos habere referuntur. Qui ergo et ea quae in occultis sunt discutiunt, atque ab ipsis se custodiant quae latent, profecto oculos in dorsis habent. Quod tamen intelligi et aliter potest, quia ea quae sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, et nos videre non possumus. Quia autem sancti viri solerter se aspiciunt in quibus ab aliis judicari

possunt, et districte se vident, sicut saepe districte ab aliis videntur, qui in se nec ea quae se latere poterant ignorant, lumen in dorso portant. Sequitur:

VERS. 19.---*Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae juxta ea; et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae.*

8. Ambulant animalia cum sancti viri in Scriptura sacra intelligunt quemadmodum moraliter vivant. Elevantur vero a terra animalia, cum sancti viri se in contemplatione suspendunt. Et quia unusquisque sanctorum quanto ipse in Scriptura sacra profecerit, tanto haec eadem Scriptura sacra proficit apud ipsum, recte dicitur: *Cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae* ; *et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae,* quia divina eloquia cum legente crescunt; nam tanto illa quisque altius intelligit, quanto in eis altius intendit. Unde nec elevantur rotae, si non elevantur animalia, quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta, velut in imis, non intellecta jacent. Cum enim legenti cuilibet sermo Scripturae sacrae (si tepidus videtur sensus divini eloquii) ejus mentem non excitat, et in cogitatione sua nullo intellectus lumine emicat, rota et otiosa et in terra est, quia animal non elevatur a terra. At vero si animal ambulet, id est bene vivendi ordinem quaerat, et per gressum cordis inveniat quemadmodum gressum boni operis ponat, ambulant pariter et rotae, quia tantum in sacro eloquio provectum invenis, quantum apud illud ipse profeceris. Si vero pennatum animal sese in contemplatione tetenderit, rotae protinus a terra sublevantur, quia terrena non esse intelligis, quae prius in sacro eloquio juxta terrenum morem dicta credidisti. Fitque ut Scripturae sacrae verba esse coelestia

sentias, si accensus per contemplationis gratiam temetipsum ad coelestia suspendas. Et mira atque ineffabilis sacri eloquii virtus agnoscitur, cum superno amore legentis animus penetratur. Quia ergo animal ad alta se sublevat, rota volat. Sequitur:

VERS. 20.---*Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum.*

9. Quo enim spiritus legentis tendit, illuc et divina eloquia levantur, quia si in eis altum quid videndo et sentiendo quaesieris, haec eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altiora ascendunt. Bene autem de eisdem rotis dicitur: *Sequentes eum.* Legentis enim spiritus, si quid in eis scire morale aut historicum quaerit, sensus hunc moralis historiae sequitur. Si quid typicum, mox **1227** figurata locutio agnoscitur. Si quid contemplativum, statim rotae quasi pennas accipiunt, et in aere suspenduntur, quia in verbis sacri eloquii intelligentia coelestis aperitur. *Quocunque ergo ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum.* Rotae enim spiritum sequuntur, quia verba sacri eloquii, ut saepe jam dictum est, juxta sensum legentium per intellectum crescunt.

10. In una enim eademque Scripturae sententia alius sola historia pascitur, alius typicam, alius vero intelligentiam per typum contemplativam quaerit. Et fit plerumque ut, sicut dictum est, in una eademque sententia cuncta simul tria valeant inveniri. Moyses enim cum de ardenti rubo vocatus fuisset **(Exod. III, 3)**, accessit propius ut videret visum, et ecce rubus ardebat, et non consumebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est unde

legentis nutriatur animus, ut videas quod in ligno ignis ardeat, et non consumat. Jam vero si typicam intelligentiam quaeras, quid flamma nisi legem, de qua scriptum est: *In dextera ejus ignea lex* **(Deut. XXXIII, 2)**? et quid rubus ille, nisi Judaicum populum designavit, peccatorum suorum spinis obsitum? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus et ignem quidem legis accepit, et tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec ejus vitia divini sermonis flamma concremavit. Fortasse in hoc facto alius majora per typum contemplari desiderat. Hujus quia sensus excrescit, elevantur pariter et rotae. Inter homines enim perfectus homo factus est unicus Dei Filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostrae nequitiae suscepit, atque usque ad passionem pro nobis humiliari dignatus est, et in semetipso ignem tribulationis nostrae suscipere. Sed arsit, et non arsit, quia et ex humanitate est mortuus, et tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit a nobis unde sacrificium fieret pro nobis, et tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret a nostris. Alius fortasse per historiam, moralitatem, atque alius per allegoriae intelligentiam contemplationem requirit. Patet cunctis juxta historiam hoc quod in lege scriptum est, ut turtur quae pro peccato offertur, retorqueatur caput ejus ad pennulas, ita ut collo inhaereat, et non penitus abrumpatur **(Levit. I, 15; V, 8)**. In quibus verbis dubius legentibus sensus historicus non est. Sed si haec intelligere moraliter requiras, agitatur rota dum ad moralem intelligentiam ducitur sacri verbi sententia. Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificio esse turtur debemus, ita ut caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est animus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus, quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit.

Sed caput ad pennulas retorqueri praecipitur, ut ea quae dicis facias, et os ad opera conjungas. Nec ita caput abscindendum est, ut a corpore dividatur, sed ex parte decisum, corpori suo jubetur inhaerere, quia videlicet mens nostra a carnali delectatione incidenda est, sed a carnis cura necessaria incidenda non est. Hinc enim **1228** scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis* **(Rom. XIII, 14)**. Quae ergo in desideriis fieri prohibetur, procul dubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum est, et ex parte inhaeret, ut, sicut dictum est, et a voluntate carnis mens nostra incisa sit, et tamen a necessitate non sit abscissa. Quid, si hoc sacrificii genus sub typica Redemptoris nostri intelligentia alius ad contemplationem requirat? Ascendat ergo ad fortiora animus, eleventur animalia, ut eleventur pariter et rotae. Quis enim caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* **(Ephes. I, 22)**. Quem cum Judaei persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum et sepultum viderent, hunc se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput turturis et incisum est, et tamen a suo corpore divisum non est, quia ex eo quod pro nobis mortem pertulit, omnes nos sib verius in ipsa sua morte conjunxit; et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Caput ergo turturis incisum inhaesit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis separatus per passionem non est. Quia igitur dicta sacri eloquii cum legentium spiritu excrescunt, recte nunc dicitur: *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum.* Et subditur:

IBID.---*Spiritus enim vitae erat in rotis.*

11. In rotis enim spiritus vitae est, quia per sacra eloquia dono spiritus vivificamur, ut mortifera a nobis opera repellamus. Potest etiam intelligi quia spiritus vadit cum legentis animum diversis modis et ordinibus tangit Deus, quando hunc per verba sacri eloquii modo in zelo excitans, ad ultionem erigit, modo ad patientiam mitigat, modo in praedicationem instruit, modo ad poenitentiae lamenta compungit. Sed curramus breviter per haec eadem verba quae diximus, et videamus quomodo sequuntur rotae spiritum, qui vitae spiritus dicitur, et rotis inesse perhibetur.

Certe si legentis animum spiritus vitae in zeli fervore tetigerit, protinus in sacris eloquiis videt quod Moyses, ad castra rediens, et populum per idola peccasse cognoscens, hunc per fervorem spiritus gladiis stravit **(Exod. XXXII, 27)**; quod Phinees, persequendo luxuriam, iram Domini gladio placavit **(Num. XXV, 8)**; quod Petrus sibimet mentientes, verbo perculit et occidit **(Act. V, 5, 10)**. Quod Paulus, negligentibus discipulis, virga minatur **(I Cor. IV, 21)**.

12. Si vitae spiritus legentis animum ad servandam patientiam tangit, statim sequuntur et rotae, quia in sacris eloquiis invenit quod Moyses et Aaron, cum loquentes recta persecutionem populi passi sunt, ad tabernaculum cucurrerunt, pro ipso populo exorantes quem fugiebant **(Num. XX, 6)**. Sancta autem eorum mens et tumorem superbientium pertulit, et tamen contra eos ad odium non erupit. Patientia enim vera est, quae et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. In eisdem quoque eloquiis **(I Reg. VIII, 22)** invenit quod Samuel de

principatu dejectus **1229** orasse se etiam pro dejicientibus confitetur; quod nemo sanctorum ad coelestem gloriam nisi patientiam servando pervenit; quod ipse auctor generis humani sputa, colaphos, spineam coronam, crucem, lanceam pertulit, et tamen pro persecutoribus oravit.

13. Si vitae spiritus legentis animum ad studium praedicationis excitat, statim sequuntur et rotae, quia in sacris eloquiis invenit Moyses, jubente Domino, contra Aegypti regem in quantis se praedicationis liberae verbis erexit **(Exod. V, 10)**; quod Stephanus Judaeis perfidiantibus diceret: *Vos semper Spiritui sancto restitistis* **(Act. VII, 51)**, nec inter lapides timuit **(Ibid., 57)**; quod Petrus, fustibus caesus, ne in nomine Jesu loqueretur, cum magna libertate respondit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* **(Ibid., V, 28, 29)**; quod Paulus catenarum vinculis stringitur **(Philip. I, 14)**, sed tamen verbum Dei non est alligatum **(II Tim. II, 9)**.

14. Si vitae spiritus ad poenitentiae lamenta compungit, sequuntur protinus et rotae, cum Scripturae sacrae verba David poenitentem proferunt; quod et reprehensus a propheta, quia subjectus coelesti Regi non fuit, subjecto increpanti non erubuit confiteri quod fecit **(II Reg. XII, 13)**; quod publicanus, qui reatum suae nequitiae cognovit, etsi injustus ad templum venit, justificatus a templo rediit **(Luc. XVIII, 13, 14)**; quod Petrus negationis maculas lacrymis lavit **(Matth. XXVI, 75)**; quod latro qui in cruce cognovit culpam, in ipsa jam morte invenit veniam **(Luc. XXIII, 43)**. De quibus adhuc rotis eadem propheta replicat, atque subjungit:

VERS. 21.---*Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant; et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotae, sequentes ea, quia spiritus vitae erat in rotis.*

15. Haec, sicut nostis, fratres charissimi, ex maxima parte jam dicta sunt, sed iterata descriptione narrantur. Nec nos itaque pigeat eadem breviter exponendo repetere, quae spiritus per prophetam dignatus est replicando narrare. Hoc enim solum in his verbis novum additur, quod dictum est: *Cum stantibus stabant.* Sunt autem quidam qui usque ad hoc proficiunt, ut terrena quae acceperunt bene dispensare noverint, misericordiae operibus intendant, oppressis subveniant. Hi videlicet vadunt, in eo quod se ad proximi utilitatem tendunt. Cum his ergo rotae gradiuntur, quia sacra eloquia dictorum suorum passus in eorum itinere disponunt. Et sunt alii qui in fide quam acceperunt ita ad tenendum fortes sunt, ut adversis quibusque resistere valeant, et non solum minime ad perversitatem trahantur perfidiae, sed etiam perversa loquentes impugnent, eosque ad rectitudinem pertrahant. Cum istis stantibus stant etiam et rotae, quia eis rectitudinem suam sacri eloquii verba confirmant, cum in eis audiunt: *State et tenete traditiones quas didicistis* **(II Thess. II, 15)**. Et rursum: *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide* **(I Petr. V, 8, 9)**. Et sunt alii qui omnia terrena despiciunt, nulla quae praetereunt, possidere dignantur, et in Dei se, ut praedictum est, contemplatione suspendunt. Cum his ergo elevatis et rotae pariter levantur, quia in quantum quisque ad alta profecerit, intantum ei et sacra eloquia de altioribus loquuntur. Vadunt ergo animalia ad utilitatem

proximi, **1230** stant ad custodiam sui, elevantur ad contemplationem Dei.

16. Sed et rotae pariter vadunt, stant, elevantur, quia quaesita sacra lectio talis invenitur, qualis et fit ipse, a quo quaeritur. Ad activam enim vitam profecisti, ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam spiritus profecisti, stat tecum. Ad contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. Et rursum subditur: *Quia spiritus vitae erat in rotis.* Quod idcirco secundo dicitur vitae spiritus in rotis esse, quia Scripturae sacrae duo sunt Testamenta, quae utraque Dei spiritus scribi voluit, ut nos a morte animae liberaret. Vel certe quia duo sunt praecepta charitatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi, per quae utraque nos sacrae Scripturae dicta vivificant. Secundo ergo dicitur quod spiritus vitae erat in rotis, quia dilectionem Dei et proximi capimus in eloquiis divinis. Per praecepta enim Scripturae sacrae reviviscimus, qui mortui in culpa jacebamus. Unde omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur: *In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me* **(Psal. CXVIII, 93)**. Justificationes enim praecepta Domini dicuntur, in quibus nos corrigendo justificat. De quibus Psalmista apertius dicit: *In tuis justificationibus meditabor, non obliviscar sermones tuos* **(Ibid., 16)**. In eis itaque nos vivificat, quia per haec nobis spiritualem vitam demonstrat, eamque per afflatum spiritus nostris mentibus infundit. Quod quia quotidie per donum gratiae in electorum mentibus agitur, recte dicitur: *Spiritus vitae erat in rotis.*

17. Haec nobis Scriptura in tenebris vitae praesentis facta est lumen itineris. Hinc etenim Petrus ait: *Cui benefacitis intendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* **(II**

Petr. I, 19). Hinc Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* **(Psal. CXVIII, 105)**. Scimus tamen quia et ipsa nobis nostra lucerna obscura est, nisi hanc nostris mentibus veritas illustret. Unde iterum Psalmista ait: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas* **(Psal. XVII, 29)**. Quid enim lucerna ardens, nisi lumen est? Sed lumen creatum nobis non lucet, nisi illuminetur a lumine non creato. Quia ergo omnipotens Deus ad salutem nostram sanctorum Testamentorum dicta et ipse creavit, et ipse aperuit, spiritus vitae erat in rotis. Sequitur:

VERS. 22.---*Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, extenti super capita eorum desuper.*

18. Haec, largiente Domino, duobus modis exponemus, ut lectoris judicio quid eligendum censeat relinquamus. Possunt enim firmamenti nomine coelestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte quasi aspectus crystalli dicitur, quia videlicet crystallum forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatur. Et natura angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet, per similitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus aliis, sancti angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, **1231** ut jam cadere omnino non possint, in eis natura sua, quia jam duci mutabiliter non potest, quasi in magnitudinem crystalli durata est. Quod crystallum horribile et extensum super capita animalium dicitur, quia illae potestates angelicae, quae omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac

corruptione positis, terribiles atque pavendae sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus comprehendere valeat quae sit illa angelorum ineffabilis et sine fine laetitia? quae beatitudo, sine defectu vultum videre creatoris, atque in ejus delectatione sine immutatione persistere?

19. Potest autem firmamenti nomine ipse per figuram noster Redemptor intelligi, verus Deus super omnia, et factus inter omnia homo perfectus, in quo nostra natura apud Patrem confirmata est. De quo etiam per Psalmistam prophetando dicitur: *Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis quem confirmasti tibi* **(Psal. LXXIX, 18)**. Humana etenim natura priusquam a creatore omnium susciperetur, terra erat; nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* **(Genes. III, 19)**. At postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in coelis sublevata, et super angelos ducta, firmamentum facta est, quae terra fuit. Sed firmamentum quod aspicitur, cujus habeat similitudinem, subinfertur, cum dicitur: *Quasi aspectus crystalli horribilis.* Crystallum, sicut dictum est, ex aqua congelascit, et robustum fit. Scimus vero quanta sit aquae mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passionibus subjacuit, aquae simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lassescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo, usque ad passionem suam per momenta temporum mobiliter decucurrit. Cujus cursum Propheta intuens, ait: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* **(Psal. XVIII, 6)**. Sed quia per resurrectionis suae gloriam ex ipsa sua corruptione in incorruptionis virtutem

convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et haec eadem natura esset, et in ipsa quae jam fuerat corruptionis mutabilitas non esset. Aqua ergo in crystallum versa est, quando corruptionis ejus infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem mutata.

20. Sed notandum quod hoc crystallum horribile, id est pavendum, dicitur. Quis autem nesciat cujus pulchritudinis sit crystallum? Et mirum quomodo in hoc crystallo conveniat pulchritudo cum pavore. Sed omnibus vera scientibus constat quia Redemptor humani generis cum judex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc eumdem pavendum atque terribilem conspiciunt reprobi. Sed hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius considerare non cessant. Studiose enim considerant quam terribilis ad judicium veniat, culpas anteactas deflent, imminentes declinant; pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, et quam tremendus **1232** appareat sine cessatione suspecti sunt, atque quotidie timendo agunt ne quando venerit pertimescant. Similitudo ergo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis. Et quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, recte subjungitur: *Extenti super capita eorum desuper*. Firmamentum hoc quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, et horribile et extentum est, quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector et modo a peccatis et post a suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant qui pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudine conservant. Unde et apte mox subditur:

VERS. 25.---*Sub firmamento autem pennae eorum rectae alterius ad alterum.*

21. Tunc pennae virtutum sub firmamento rectae sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit, ut qui terrenam substantiam accepit, indigentis proximi inopiam sublevet; qui doctrinae gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suae praedicationis illustret, qui temporali potestate subnixus est, oppressos a violentiis relevet; qui prophetiae spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia, bona suadendo, declinet; qui gratiam curationis accepit, intercessione sua saluti infirmantium pie et humiliter impendat; qui, a terrenis actibus liber, soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem saepe ut qui terrena substantia nimis occupatur orationi non quantum debet invigilet. Et fit plerumque ut is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat sustentationem vivendi non habeat. Sed dum dives porrigit alimentum atque vestimentum pauperi, et dum pauper orationem suam animae divitis impendit, pennae animalium rectae alterius ad alterum tenduntur. Nam dum ille mihi verbum praedicationis exhibet, et lumine veritatis ex corde meo ignorantiae tenebras expellit, dumque illi ego, quia fortasse a mundi hujus potente opprimitur, solatium meae defensionis impertior, atque hunc de violentis manibus evello, vicissim nobis pennas nostras tendimus, ut nos affectu et ope vicaria ex bono quod accepimus tangamus. Unde bene primus pastor admonet, dicens: *Omnium finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus; ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine*

murmurationibus. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes **(I Petr. IV, 7, seq.)**. Quod ergo apud Ezechielem *penna,* hoc apud Petrum apostolum accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: *Rectae pennae alterius ad alterum,* hoc Ecclesiae pastor dicit: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes* **(Ibid., 10)**. Pennae enim nostrae rectae jam non sunt, si ad utilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectae fiunt, cum in utilitatem proximi dirigimus quod habemus. Quia enim **1233** bona nostra non a nobis sunt, sed ab eo haec accepimus a quo factum est ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere privata, quanto ea nobis conspicimus ab auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus apostolus in exhortatione hujus rei subdit, dicens: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei* **(I Petr. IV, 10)**. Atque adhuc adjicit: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus* **(Ibid., 11)**. Ac si aperte dicat: Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non a vobis esse quod habetis. Quaelibet enim penna virtutis cum ad proximum impertiendo tenditur, recta non erit, si humilitate caruerit. Sequitur:

IBID.---*Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur.*

22. Quia per corpus actio, per alas vero virtutes signentur, supra jam diximus **(Hom. 4, n. 5)**. Et cum dicat: *Sub firmamento autem pennae eorum recte alterius ad alterum,* quaerendum est qualiter subditur: *Unumquodque duabus alis velabat corpus suum.* Qua in re hoc patenter indicatur, quia et pennas alius ad alterum tendebant, et tamen

duabus alis corpus proprium velabant. Quid est hoc, nisi quia sic debemus virtutes quas accepimus, aliis impendere, ut ea in quibus peccavimus, non desinamus caute cogitare, et reatum nostrum quotidie per timorem et poenitentiam plangere? Duas enim alas superius, quibus corpus velatur, timorem et poenitentiam diximus. Sic ergo in charitate crescamus, ut pennas tendamus in proximos; et nunquam desinamus cogitare et plangere nosmetipsos. Pennae tendantur juxta, pennae cooperiant corpora, ut et de bonis actibus praebeamus exempla, et mala quae egimus abscondant a judicio timor et poenitentia. In translatione autem veteri de his alis dicitur: *Singulis duae conjunctae, et tegentes corpora eorum.* In quibus verbis intelligitur quia et ipsae erant pennae quae jungebantur alterius ad alterum, et ipsae quae eorum corpora cooperiebant. Quod per figuram bene accipitur, quia illae nos virtutes apud omnipotentem Deum protegunt, quas ex charitate proximis impertimur atque conjungimus; cum quibus dum concorditer vivimus, mala quae fecimus velamus. Possunt ergo etiam per has alas duo praecepta charitatis intelligi, amor scilicet Dei, et proximi. Amando enim Deum, nostra in nobis mala persequimur, id est corpus velamus. Diligendo autem proximum, ei in quo prodesse possumus festinamus, id est alas ad alterum tendimus.

23. Hoc autem quod subditur, *Et alterum similiter velabatur,* in translatione veteri non habetur. Et quaeri potest cur postquam dictum est: *Unumquodque duabus alis velabat corpus suum,* subjungitur: *Et alterum similiter velabatur.* Translationem autem Septuaginta interpretum, Aquilae, Theodotionis, et Symmachi sollicite perscrutantes, nihil ex his verbis invenimus; sed beati Hieronymi scripta

relegentes **1234** agnovimus quia hanc sententiam in Hebraea veritate ita positam, non quidem juxta verbum, sed juxta sensum invenerit. Quaeri etenim potest cur postquam dictum est: *Unumquodque velabat corpus suum,* statim subditur: *Et alterum similiter velabatur.* Si enim diceret unum et alterum, loquendi ratio staret. Postquam vero dictum est *Unumquodque,* cur adjicitur *alterum,* cum in unoquoque omnes comprehenduntur? Sed si et perfectorum vitam, et proficientium merita distinguimus, et unumquodque et alterum non irrationabiliter positum videmus. Qui enim et sua deflent, et virtutum pennas ad proximos in exemplum tendunt, procul dubio perfecti sunt. Sunt autem plerique parvulorum qui eorum lacrymas conspiciunt et imitantur. Et qui nudi in suis pravitatibus esse potuissent, sanctos vigilantioresque viros considerant; moxque suis pravitatibus irati, accenduntur ut plangant, et inflammantur ad poenitentiam. Atque ut velare sanctos corpora sua conspiciunt, ita ipsi quoque lacrymarum suarum alis velantur. Seipsos enim magnis increpationibus feriunt; cur qui virtutes non habent peccata sua minime deplorant, si adhuc et illi plangere non desinunt, qui jam virtutum pennas per exempla ad proximos tendunt.

24. In quibus verbis necesse est ut nos qui parvuli adhuc sumus perfectorum semper et virtutes et lacrymas ante mentis nostrae oculos ponamus. Imitemur quae in illis aspicimus, ut dum coeperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quae fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra poenitentia habemus sacerdotem in coelis, qui interpellat pro nobis. De quo etiam per Joannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis*

nostris **(I Joan. II, 1)**. Ecce exsultat animus cum advocati nostri potentiam audimus. Sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est dicitur justus. Nos enim causas injustas habemus, justus vero advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo agimus, charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quae fecimus, et deseramus, et accusemus. Scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* **(Prov. XVIII, 17)**. Quilibet etenim peccator conversus in fletibus jam justus esse inchoat cum coeperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas saevit? Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII. *A versu 24 quae supersunt capitis primi explicantur, cum initio capitis secundi; et de Christi divinitate, de verbi Incarnatione, de praedicatione, de Ecclesiae congregatione, multiplicatione, unitate, plurimis disseritur.*

1235 Quod per exempla justorum multi proficiunt, superioris locutionis fine tractatum est. Atque hoc ipsum propheta nobis certius aperit cum his quae dixerat adjungit:

VERS. 24.--- *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.*

1. Solent in sacro eloquio per aquas, populi designari. Unde per Joannem dicitur: *Aquae vero sunt populi* **(Apoc. XVII, 15)**. Idcirco autem aquis populus designatur, quia et in vita sonum habet ex tumultu carnis, et quotidie defluit ex decursu mortalitatis. Ut autem saepe jam diximus, alae sunt animalium, virtutes sanctorum. Quid est ergo quod propheta alarum sonum audit quas sonum aquarum multarum, nisi quod omnipotentis Dei pietate illae alae virtutum, quae in paucis prius sanctis sonabant, etiam nunc praedicatione diffusa, in multarum populorum conversatione resonant? Incarnato enim, passo, ac resurgente Domino, pauca pennata animalia fuerunt, quia rari valde exstiterunt, qui coelestia desiderarent, et virtutum pennis se in alta suspenderent. Sed postquam divinitatis ejus praedicatio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli, quanti graviores, quanti fortes juvenes, quanti imbecilles, quantae conversae peccatrices, quantae anus virgines per fidem, per spem, per amorem ad coelestia evolant, quis dicere, quis aestimare sufficiat? Ecce alarum sonitus, qui prius in paucis animalibus fuit, jam nunc in populis resonat, jam nunc mundi multitudinem ad coeleste desiderium pennae virtutum levant. Bene ergo dicitur: *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum,* quia, sicut praefati sumus, ille virtutum sonus qui in aurem Dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex

aquis multis id est ex innumerabilibus est populis multiplicatus. De quo sono adhuc bene additur:

IBID.---*Quasi sonum sublimis Dei.*

2. Quid est quod alarum sonus in sanctis animalibus quasi sonus sublimis Dei dicitur, nisi quod omnipotens Deus et ipse implet mentes sanctorum coelesti desiderio, et ipse exaudit impletas? Ipse etenim creat in sanctorum cordibus amorem, et ipse ex amantibus cordibus precem suscipit. Negotionem suam Petrus flevit amare, sed tamen illic praemittitur quia Jesus respexit Petrum **(Luc. XXII, 61, 62)**. Venit Maria Magdalene post multas maculas culpae, ad pedes Redemptoris nostri cum lacrymis **(Ibid., VII, 38)**; sed quis illam infudit intus, nisi qui benigne suscepit foris? Quis illam ad lacrymas urgebat per compunctionis spiritum, nisi qui hanc exterius coram **1236** simul recumbentibus recipiebat ad veniam? Redemptor igitur noster peccatricis mulieris mentem extrahebat cum de culpa compungeret, suscipiebat ut a culpa liberaret. Bene ergo iste alarum sonus quasi sonus sublimis Dei dicitur, quia quidquid in sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiae qui merita largitur:

3. Qui recte per prophetam sublimis Deus esse memoratur. In Scriptura etenim sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut scriptum est: *Ecce constitui te deum Pharaonis* **(Exod. VII, 1)**. Et sicut Moyses ait: *Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, videlicet ad sacerdotes* **(Exod. XXII, 8)**. Qui rursum dicit: *Diis non detrahes* **(Ibid., 28)**, id est sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* **(Psal. LXXXI, 1)**.

Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad Moysen dicit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* **(Exod. III, 6)**. Unde Paulus apostolus volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* **(Rom. IX, 5)**. Qui enim nuncupative dicitur Deus, inter omnia; qui vero essentialiter, Deus super omnia est. Ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit, quia et electus quisque, sicut praemisimus, vel in exemplo justitiae praerogando positus dici Deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative deus; Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus. Quem ergo Paulus Deum super omnia, hunc Ezechiel propheta Deum sublimem nominat. Postquam vero dictum est: *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum,* quia adhuc additur: *Quasi sonum sublimis Dei,* etiam hoc intelligere possumus quod futurum electis omnibus scimus. Alarum etenim sonitus, sicut diximus, fuit in praedicatoribus sanctis: aquarum sonitus, in conversis et sequentibus populis. Sed idem ipse sonitus erit quandoque sonus sublimis Dei, quia multitudo, quae nunc ad fidem per sanctos doctores trahitur, quandoque in coelestem patriam congregabitur, ut ibi omnes electi sine fine laudent, cum viderint sine fine quem laudent. Et quia tunc perfecte corpus Redemptoris efficitur omnis multitudo sanctorum, juxta Pauli vocem dicentis: *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* **(Rom. VIII, 21)**; eique ita tunc inhaerent, ut eis **1237** de corruptione, quae per resurrectionem vincitur, jam nihil in suo sancto amore contradicat, sed unita

gloriae sui Redemptoris fiat; recte dicitur: *Quasi sonum sublimis Dei.*

4. Notandus est ordo describentis, quia prius sonus ex alis animalium, qui postmodum quasi sonus aquarum multarum, ad extremum vero quasi sonus sublimis Dei dicitur. Quod enim prius praedicaverunt sancti, hoc postmodum crediderunt atque tenuerunt conversi ad fidem populi, qui ad extremum quoque liberatori omnium reddent laudem in coelestia sublevati. Sonus itaque animalium fit quasi sonus aquarum, et sonus aquarum fit quasi sonus sublimis Dei, quia laudem omnipotentis Domini, quam prius in mundo pauci, hanc postmodum multi clamaverunt. Et quam nunc multi clamant, cum adhuc eis in semetipsis sua corruptio repugnat, hanc in coelestem patriam electi omnes suo jam capiti uniti resonabunt. Adhuc autem sanctorum animalium opera virtutesque describuntur, cum subditur:

IBID.---*Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum.*

5. Si per sonitum sublimis Dei laus nostri creatoris in coelesti patria designatur, mirandum non est quod rursus ad sanctorum opera in hac adhuc vita viventium propheticus sermo refunditur, quia sanctus Spiritus in corde prophetarum, quod simul ostendit intus, non simul ejicit per linguam foras. Aqua quippe scientiae qua prophetantis animus repletur, in contemplatione vehementer exuberat. Sed quia angustum est spiritui omne os hominis, id est foramen carnis, ad explendam illam immensitatem quae conspicitur, proferendo lingua variatur. Postquam ergo sonum alarum quasi sonum sublimis Dei esse conspexit in coelis, rursus ad terras redit, et pennata

animalia quid hic agant loquitur, ut illic summo mereantur, dicens: *Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum.* Cum praedicatores sancti mundum praedicando et trahendo circumeunt, animalia ambulant. Et quia hi etiam quos colligunt, statim ut crediderint, in laudem nostri creatoris exsurgunt, fit sonus quasi sonus multitudinis. Et quia in praedicatione eadem bellum contra aereas potestates sumunt, recte subjungitur: *Ut sonitus castrorum.* Cum enim sanctis praedicatoribus fideles populi conjunguntur, contra malignos spiritus in procinctu fidei multitudines castrorum fiunt. Et dum quotidie fideles quique coelestibus desideriis replentur, terrena despiciunt, dura sibi pro amore supernae patriae proponunt, contra potestates aereas castra fiunt, quia armati fide et bonis operibus muniti gradiuntur. Quasi enim quibusdam castris spiritalis exercitus per Paulum dicitur: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in coelestibus* **(Eph. VI, 11, 12)**.

5. Sanctorum ergo multitudines castra sunt; quae bellum contra potestates aereas susceperunt. **1238** Unde et sancta universalis Ecclesia ita sub specie dilectae describitur, ut dicatur: *Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata* **(Cant. VI, 3)**. Quia enim Jerusalem pacis visio interpretatur, cujus nomine patria coelestis exprimitur, sancta Ecclesia suavis et decora ut Jerusalem dicitur, quia ejus vita et desiderium, visioni jam pacis intimae comparatur, ut in eo quod auctorem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo

scriptum est: *In quem desiderant angeli prospicere* **(I Petr. I, 12)**, per ipsa jam amoris sui desideria angelis similis dicatur: quae quanto Deo amabilis efficitur, tanto agit ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis, subjuncta comparatione ostenditur, id est, *Ut castrorum acies ordinata* **(Cant. VI, 5)**. Quid est quod sancta Ecclesia hostibus suis ut castrorum acies sit timenda? Non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, et idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim et constat quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus per quem hostis possit ingredi dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatem semper uniti atque constricti, et nunquam interrupti per discordiam inveniamur, quia quaelibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiae locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hostis intrare.

7. Antiquus vero inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet, quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est amorem humilem quem nobis vicissim impendimus timet, et nimis concordiae nostrae invidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in coelo. Bene ergo dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata* **(Cant. VI, 9)**, quia electorum

multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis conco liam unitos contra se et conglobatos aspiciunt.

8. Quanta autem sit concordiae virtus ostenditur, cum sine illa virtutes reliquae, virtutes non esse monstrantur. Magna enim est virtus abstinentiae; sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut caeteros in cibo dijudicet, et alimenta eadem quae Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus etiam damnet **(Rom. XIV, 3, 6)**, quid huic virtus abstinentiae facta est nisi laqueus culpae? Unde Psalmista quoque nullam esse abstinentiam sine concordia designans, ait: *Laudate eum in tympano et choro* **(Psal. CL, 4)**. In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, et quid per chorum nisi charitatis concordia designatur? Qui itaque sic abstinentiam tenet, ut concordiam deserat, laudat quidem **1239** in tympano, sed non laudat in choro. Et sunt nonnulli qui dum plus sapere quam necesse est student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut habetes stultosque contemnunt. Unde per se Veritas admonet, dicens: *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* **(Marc. IX, 49)**, ut quisquis habere sal sapientiae studet, curet necesse est quatenus a pace concordiae nunquam recedat. Quod vero de his duabus virtutibus diximus, hoc de caeteris omnibus sentiendum est. Unde Paulus terribiliter admonet, dicens: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* **(Hebr. XII, 14)**.

9. Quia autem nil sine concordia Deo placeat. ipsa per se Veritas demonstrat, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid*

adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum **(Matth. V, 23, 24)**. Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite, quantum sit malum discordiae, propter quod et illud abjicitur, per quod culpa laxatur. Quia vero electi semper in charitate conjuncti sunt, et haec eadem eorum charitas sonum laudis reddit auctori, malignis vero spiritibus, id est antiquis suis hostibus poenam incutit timoris, recte nunc de pennatis animalibus dicitur: *Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum.*

10. Libet autem ab exortu sanctae Ecclesiae fidei oculo usque ad finem mundi tendere, et haec eadem castra quomodo ambulent videre. Castra enim multitudines appellantur exercitus, cum in procinctu pergunt, aut in certo quolibet loco in itinere demorantur. Castris ergo via est vita praesentis saeculi, omnibus concorditer viventibus sanctis. Alia autem sunt castra praedicantium, qui huc illucque pro colligendis animabus in sancti operis procinctu laborant. Alia castra continentium, atque ab hoc mundo recedentium, qui contra malignorum spirituum bella quotidie in corde se praeparant. Alia castra bonorum conjugatorum, qui viventes in amore omnipotentis Dei concorditer, sic vicissim sibi carnis debitum solvunt, ut tamen quid Deo de bonis operibus debeant, nullatenus obliviscantur. Sed et si qua ut homines delinquunt, haec incessanter piis actibus redimunt. Quia ergo distincti fidelium ordines, ab exortu sanctae Ecclesiae usque ad finem mundi concorditer viventes, contra potestates aereas dimicant, castra ambulant; et fit quasi quidam castrorum sonitus, quia in eis ad laudem omnipotentis Dei et virtutum gladii et arma

miraculorum sonant. De sanctis vero animalibus adhuc subditur:

IBID.---*Cumque starent, demittebantur pennae eorum.*

11. Stant sancta animalia quando ea quae Dei sunt intenta contemplatione considerant. Sed eorum pennae deponuntur, quia dum alta Dei judicia aspiciunt, suae eis virtutes vilescunt. Quod aperte exponitur cum statim subditur:

VERS. 25.---*Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas.*

12. Firmamentum superius sub intellectu duplici **1240** judicavimus exponendum. Possunt enim, sicut dictum est **(Hom. 1, n. 18, 19)**, firmamenti nomine coelestes potestates intelligi. Et potest firmamenti nomine incarnatus Unigenitus, per hoc quod in eum natura nostra ad aeternitatem firmata est, designari. Prius ergo quid sentimus de angelis, et postmodum de Domino angelorum, loquamur. Ecce enim dicitur: *Cum fieret vox super firmamentum, stabant, et submittebant alas suas.* Quo in loco, hoc primo sciendum est, quia submittere, non ab inferiori ad superiora tendere, sed a superiori ad inferiora alas deponere debet intelligi, propter hoc quod praemissum est: *Cum starent demittebantur pennae eorum.* Quaerendum itaque nobis est quae sit vox quae super firmamentum fit. Sed eamdem vocem melius intelligimus, si, ab imis ad superiora gradientes, quasi quibusdam passibus ascendamus. Sicut auditus corporis excitatur voce, ita sensus mentis excitatur intellectu, qui de interioribus agitur. Vox ergo est in mente, quasi quidam sonus intelligentiae. Sed sciendum est quia nostris sensibus aliquando vox carnis loquitur,

aliquando vox animae, aliquando vox firmamenti, aliquando vox quae super firmamentum est.

13. Ponamus enim ante oculos quod quispiam sit laesus a proximo, qui ex humana ratione cogitat ut vicem laesioni reddat, malum pro malo retribuat, huic vox carnis loquitur in mente, quia cum divina mandata praecipiant bene nos facere his qui nos oderunt **(Matth. V, 44)**, quisquis malefacere se odientibus cogitat, in ejus animo vox carnis sonat. Multa terrena quotidie agimus, post haec ad orationem redimus. Accenditur ad compunctionem animus, sed earum rerum quas egimus imagines versantur in mente, et intentionem compunctionis praepediunt in oratione; et quod volentes foris egimus, hoc interius patimur inviti, ut quaedam cogitationum phantasmata mentem per imagines corporeas dispergant, ne stricte totam in oratione se colligat. Haec quoque vox carnis est.

14. Cum vero et ista subigimus, atque ab oculis mentis cunctas corporeas imagines effugamus, ipsam in nobismetipsis naturam animae quaerentes, qualis sit quae carnem vivificare potest, sed semetipsam stringere in bonis cogitationibus sicut desiderat non potest, invenimus quemdam intellectualem spiritum per creatoris potentiam viventem, corpus quod sustinet vivificantem, sed tamen oblivioni subditum, mutabilitati subjectum, quem saepe timor afficit, laetitia extollit. Ipse itaque intellectus animae vox ejus est, quia sonat quod est, quae tamen adhuc vox sub firmamento est.

15. Sed transcendentes animam, vocem de firmamento quaerimus, cum illa sanctorum angelorum innumera multitudo in omnipotentis Domini conspectu qualis

sit investigamus, quae sit in eis sine fine festivitas visionis Domini, quae laetitia sine defectu, qui amoris ardor non crucians, sed delectans; quantum in eis sit desiderium visionis Dei cum satietate, et quanta satietas cum desiderio. In quibus nec desiderium poenam generat, nec satietas fastidium parit. Quomodo inhaerendo beatitudini sint beati, quomodo contemplando semper aeternitatem sint aeterni, quomodo conjuncti vero **1241** lumini facti sint lux, quomodo aspicientes semper incommutabilem mutati sint in incommutabilitatem. Sed cum ista de angelis cogitamus, adhuc vox de firmamento est, non super firmamentum.

16. Transeat ergo animus, et ab ipsis transcendat omne quod creatum est. In solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quod unus vivificet omnia qui creavit Deus; quod ubique est et ubique totus est; quod incircumscriptus et incomprehensibilis sentiri potest, et videri non potest; quod nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est; quod nec ibi deest, ubi longe est, quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam; quod omnia tangit, nec tamen aequaliter omnia tangit. Quaedam enim tangit ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quaedam tangit ut sint, vivant, et sentiant, nec tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia. Quaedam tangit ut sint, vivant, et sentiant, et discernant, sicut est humana et angelica natura. Et cum ipse nunquam sibimetipsi sit dissimilis, dissimiliter tamen tangit dissimilia. Quod ubique praesens est, et inveniri vix potest; quod stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Ponamus ergo ante oculos mentis quae illa natura sit quae tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nec alia ex parte

sustinet, atque alia superexcedit; neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur; sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet. Hujus naturae potentiam cum strictus in ea cogitat animus, vox super firmamentum fit, quia ejus intellectum concipit, qui et angelorum sensum sua incomprehensibilitate transcendit.

17. Cum ergo vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas, quia sanctorum mentes cum creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescunt eorum animo virtutes quas habent; et tanto fiunt apud se humiles, quanto eis illud altum est quod super angelos sonat. Fortasse enim doctores sunt; sed cum coeperint tacita mente cogitare quae sit ineffabilis Dei sapientia, quae mentes hominum sine strepitu verborum docet, et quomodo haec eadem sapientia si auditorum mentes non doceat, vox docentium vacue laborat, sua eis doctrina protinus vilescit, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus **(I Cor. III, 7)**. Fortasse prophetae sunt; sed cum tacita mente considerant quia prophetiae suae oculo simul omnia Divinitatis mysteria penetrare non possunt, quoniam sicut ait Apostolus: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* **(I Cor. XIII, 9)**, in illa immensitate secretorum vident quia parum est omne quod vident, atque ex ipsa immensa altitudine luminis considerant quam minus sit illud quod intento oculo quasi per rimas viderunt. Deponant ergo alas suas, cum vox super firmamentum fit, id est humilientur in eo quod apprehendunt cum superna conspiciunt quae ab eis comprehendi non possunt.

18. Saepe etiam sanctorum cogitationibus ipsa quae habent bona blandiuntur, ut eorum mentes in aliqua sui fiducia elevent; sed protinus ad occulta Dei judicia, **1242** recurrunt, quomodo alii ex virtutibus ad infernum per elationem corruunt, alii ex vitiis correcti ad coelum per humilitatem levantur. Unde nos ad humilitatem revocans Propheta terret et admonet, dicens: *Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum* **(Psal. LXV, 5)**. Quis enim digne considerare valeat quantus super nos terror sit consiliorum Dei, quando et alter ex virtutibus in finem tendit ad vitia, et alter ex vitiis in virtutibus concludit finem? Quia juxta Salomonis vocem: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei. Nec tamen scit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futuro servantur incerta* **(Eccle. IX, 1)**, Et: *Est via quae videtur hominibus recta, et novissimum ejus ducit ad mortem* **(Prov. XIV, 12)**. Haec itaque occulti judicii profunda cogitare, quid est aliud quam alas deponere, id est de nulla jam virtute confidere, sed sub magno timore trepidare? Sive enim omnipotentis Dei naturam considerent, sive ejus judicia perpendant, trepidant, pertimescunt. Eis ergo quasi alas deponere est virtutes quas habent humiliare.

19. Sic Abraham alas deposuit, qui quando loqui cum Deo coepit, pulverem et cinerem se esse cognovit dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* **(Genes. XVIII, 27)**? Sic Moyses alas deposuit, qui eruditus omni scientia Aegyptiorum **(Act. VII, 22)**, mox ut verba Domini audivit, verba se non habere deprehendit, dicens: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius. Ex quo enim locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae*

sum **(Exod. IV, 10)**. Ac si aperte diceret: Postquam a te verba vitae audio, confusum me in verbis prioribus agnosco. Sic Isaias, cujus vita Domino ad praedicandum placuerat, cum, eumdem Dominum contemplatus, carbone de altari in ore tactus est, ait: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum* **(Isai. VI, 3)**. Ecce ad superiora sublevatus, sibimetipsi de labiorum pollutione displicuit. Nisi enim coelestis munditiae alta conspiceret, esse se judicabilem non invenisset. Sic loquente Domino Jeremias clamat: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum* **(Jerem., I, 6)**. Juxta enim ea verba quae audiebat verba se non habere cognoverat. Sic Daniel sublimem visionem videns, per plurimos dies elanguit et aegrotavit **(Dan. VIII, 27)**, quia hi qui in virtutibus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibimet aestimatione infirmi atque imbecilles fiunt. Sic beatus Job, de quo Dominus amicis illius dixit: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus* **(Job. XLII, 7)**, cum verba Dei colloquentis audiret, respondit, dicens: *Insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam* **(Ibid., 3)**. Et paulo post: *Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere* **(Ibid., 6)**. Qui enim quantum ad homines sapienter locutus fuerat, loquentem sibi Deum audiens, insipienter se locutum fuisse reprehendit, quia in contemplatione verae sapientiae sua ei sapientia viluit. Ad vocem ergo desuper venientem animalia alas deponunt, quia virtutem Dei sive in natura sua contemplari requiramus, sive in occultis judiciis investigare cogitemus, pro eo quod ejus alta nobis impenetrabilia sunt, nostra nobis si qua inesse bona credebantur vilescunt. Et qui in quantulacunque scientia volare credebamur, invisibilem **1243** super nos naturam, et

impenetrabilia ejus judicia perpendentes, submissis alis humiliter stamus. Sequitur:

VERS. 26.---*Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni; et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.*

20. Quid per thronum nisi illae virtutes angelicae designantur, quae ipsos quoque angelos dignitate loci superioris excedunt? Nam cum angeli nuntii dicantur, et saepe angeli ad annuntianda quaedam hominibus veniant, throni missi ad ministerium nuntii nusquam leguntur, quia eis longe sublimius creator omnium praesidet. Unde Paulus apostolus ordines coelestium agminum, quos ad tertium coelum raptus viderat, describens, ait: *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* **(Col. I, 16)**. Thronos igitur ante eos angelorum ordines dixit, quibus illos praelatos esse cognovit. Bene autem thronus lapidi sapphiro comparatur, quoniam lapis sapphirus aereum habet colorem. Virtutes ergo coelestium lapide sapphiro designantur, quia hi spiritus, quibus Deus omnipotens altius praesidet, superioris loci in coelestibus dignitatem tenent. Super thronum vero similitudo hominis, quia et super illas virtutes, quae et ipsos angelos antecedunt, nostri est gloria Redemptoris. Notandum ergo qui ordo servatur. Super animalia enim firmamentum, super firmamentum thronus, super thronum homo esse describitur, quia et super sanctos homines adhuc in hac corruptione corporis viventes angeli, et super angelos superiores et Deo proximae angelicae potestates, super potestates vero Deo

proximas elevatus est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.

21. Sin vero, ut praediximus, firmamenti nomine Mediator Dei et hominum pro assumpta humanitate debet intelligi, quia sub unius nominis appellatione solent per prophetiae spiritum multa signari, vox super firmamentum facta est, quae super baptizatum Dominum de coelo sonuit, dicens: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui* **(Luc. III, 22)**. Vel sicut per evangelistam alium dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(Matth. III, 17)**. Quaeramus igitur quomodo hanc vocem animalia audiunt, et alas deponunt. Habacuc propheta requisitus dicat: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi* **(Habac. III, 1)**. Quid est autem quod Pater de Filio loquitur, dicens: *In quo mihi complacui?* Omnis enim qui poenitendo corrigit aliqua quae fecit, eo ipso quod poenitet, se sibi displicuisse indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab hominibus poterat, humano modo de peccatoribus locutus est, dicens: *Poenitet me fecisse hominem super terram* **(Genes. VI, 6)**, quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus quos creavit. In solo autem sibi unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non poenituit, in quo peccatum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Juravit Dominus et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* **(Psal. CIX, 4)**. In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater, quia **1244** in eo solo non invenit culpam, in qua se reprehendat quasi per poenitentiam.

22. Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiant, et pertimescant, quia si solus sine peccato est, in ejus innocentia aspiciunt in quantis ipsa quotidie delinquant, quae necesse est ut incessanter defleant. Considerent quoque quia et ipse auctor vitae sine passionis dolore ex hac vita non exiit. Et haec ergo vox super firmamentum facta est, quia omnipotentis Patris sententia etiam de morte ac resurrectione Unigeniti processit. Sed cum vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas, quia sancti quique cum ipsum quoque Unigenitum flagellatum in hoc mundo conspiciunt, deponunt si quid de suis meritis praesumunt. Nam si ipse hinc sine flagello non exiit, qui venit sine peccato, quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Ipsum ergo firmamentum, quod est super caput animalium, id est quod transcendit mentes sanctorum, habet super se vocem, quia Redemptor noster eam quam cum Patre disposuit ex divinitate sententiam pertulit in carne, quam audientes justi terrentur, et omnem de suis viribus praesumptionem deponunt. Quibuslibet etenim virtutibus polleat, quid digna est vita peccatorum, si et ejus vita pro nobis flagello subjacuit, quae subdita nulli peccato fuit?

23. Sed ecce gravis nobis quaestio oritur, cum dicitur quia super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni. Si enim per firmamentum Dominus, et per lapidem sapphirum, et similitudinem throni summae illae potestates angelicae figurantur, quomodo super firmamentum, id est super Dominum esse credendae sunt, cum et mox subditur: *Et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper?* Nam si ita, ut dictum est, per firmamentum

exprimitur Dominus, et rursus homo accipitur Dominus, qua ratione potest intelligi et ipse super thronum, et ipse sub throno? Sed astrictos hujus quaestionis nodos ipse solvit, de quo loquimur, qui afflatu sancti Spiritus ea quae clausa sunt aperit. Incarnatus enim Unigenitus Patris per hoc quod homo factus est, infra angelos fuit, sicut de eo scriptum est: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* **(Psal. VIII, 6)**. Resurgens autem et ascendens in coelos, omnibus angelicis potestatibus praesidet, sicut de eo illic rursum scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* **(Ibid., 7)**. Et sicut ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* **(Matth. XXVIII, 18)**. Firmamentum ergo sub throno, et homo super thronum est, quia per humanae assumptionem naturae et ipse est sub angelis natus, et ipse super angelos exaltatus. Qui et priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate super angelos fuit; sed tamen ab angelis, ut dictum est, humanitate minoratus, ex qua morti subjacuit. At postquam mortem resurgendo calcavit, humanitatem suam etiam majestatibus archangelorum superposuit. Prius itaque thronus super firmamentum, et post homo super thronum visus esse describitur, quia humani generis Redemptor humanitatem, quam descendendo sub angelis assumpsit, ascendendo super angelos exaltavit. Sic vero factum eum sub angelis dicimus, **1245** sicut factum sub lege, praedicante Apostolo, audivimus **(Philip. II, 9)**. Assumptam ergo humanitatem sub angelis accipimus pro ea minoratione in qua dignatus est apparere.

24. Nam mox ut Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: *Ecce angeli accesserunt, et ministrabant*

ei **(Joan. I, 15; Matth. IV, 11)**. Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est: *Apparuit illi angelus de coelo, confortans eum* **(Luc. XXII, 43)**. In documento ergo utriusque naturae huic et angeli ministrare, hunc et angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura, quoniam qui Deus ante saecula exstitit, homo factus est in fine saeculorum. Cui tamen ante passionem suam et angeli ministrant, et hunc angelus confortat. Post passionem vero atque resurrectionem ejus, huic angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt, quia, ut praedictum est, etsi prius firmamentum sub throno apparuit, jam tamen homo super thronum est. In cujus persona, ut propheta sanctus adunationem utriusque naturae se vidisse ostenderet, protinus adjunxit:

VERS. 27.---*Et vidi quasi speciem electri.*

25. Quid est quod aspectus hominis videtur in throno quasi species electri, nisi quod in electro, sicut longe superius diximus **(Supra hom. 2, n. 14)**, aurum argentumque miscetur, ut res una ex metallis duobus fiat? In qua et per argentum auri claritas temperatur, et per auri claritatem species clarescit argenti. In Redemptore autem nostro utraque natura, id est divinitatis et humanitatis inconfuse ac inseparabiliter unita sibimet atque conjuncta est ut et per humanitatem divinitatis ejus claritas nostris posset oculis temperari, et per divinitatem humana in eo natura claresceret, atque exaltata fulgorem ultra hoc quod creata fuerat haberet. Ipse vero aspectus hominis super thronum, et species electri quam vidit qualis ei apparuerit adhuc describens subjungit:

IBID.---*Velut aspectus ignis intrinsecus per circuitum, a lumbis ejus et desuper; et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.*

26. Quid est quod Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus a lumbis et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis et deorsum speciem ignis splendentis in circuitu? Investigandum namque est quare a lumbis et desuper ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur; a lumbis vero et deorsum habere ignis speciem dicitur, non tamen hunc habere intrinsecus memoratur, quia et splendentem et in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam de Levi dicitur quia adhuc in lumbis patris erat cum Melchisedech occurrit Abrahae **(Hebr. VII, 10)**. De lumbis vero Abrahae virgo Maria exiit, in cujus utero Unigenitus Patris per Spiritum sanctum **1246** incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus, sicut per Psalmistam dicitur: *Accingere gladium tuum circa femur tuum, potentissime* **(Psal XLIV, 4)**. Gladium etenim circa femur potentissimus sumpsit, quia sermo praedicationis illius ex incarnatione convaluit. Quid vero iste ignis designat, nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda quae repleverit incendit? De quo ipsa Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram* **(Luc. XII, 49)**. Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis qui prophetae apparuit a lumbis superius intrinsecus per circuitum ignis ardet, a lumbis vero inferius non ignis intrinsecus, sed in circuitu resplendet, nisi quod ante incarnationem unigeniti Redemptoris nostri, sola intra se Judaea ardorem amoris ejus habuit; post incarnationem vero

illius in circuitu ejus ignis resplenduit, quia in universo mundo gentibus claritatem sancti Spiritus effudit? Prius ergo ignis intrinsecus erat, sed splendor non erat, quia Spiritus sanctus in multis quidem patribus Judaeam replebat, sed ad notitiam gentium necdum ejus lumen emicuerat. A lumbis vero ejus et deorsum ignis in circuitu splendet, quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona dilatavit. Et notandum quod ignis iste a lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus sed intrinsecus, quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis atque spiritalibus viris ubique in suis finibus Judaeam replevit. Nec tamen exibat extrinsecus, quia sese in multitudinem gentium non dilatabat. Quae ardoris flamma visa est postmodum in circuitu splendere, quia per mundi cardines in universis gentibus omnipotentis Dei coepit amor excrescere.

27. Erat ergo prius ignis intrinsecus, cum Jacob diceret: *Salutare tuum exspectabo, Domine* **(Genes. XLIX, 18)**. Quod enim salutare dicimus Latine, hoc verbo Hebraico Jesus dicitur. In quo verbo beati Jacob mens ostenditur quomodo Jesu desiderio ardebat, quem se moriens exspectare perhibebat. Ardebat ignis cum Moyses diceret: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, ut videam te* **(Exod. XXXIII, 13)**. Ardebat ignis in mente cum David diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam et parebo ante faciem Dei mei?* **(Psal. XLI, 3.)**? Qui incarnationem Verbi desiderans, ait: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* **(Psal. LXXXIV, 8)**. Ardebat ignis cum Simeon, de corruptione vitae praesentis exire desiderans, audivit non prius visurum se mortem, nisi videret Christum Domini **(Luc. II, 26)**. Sed ecce

jam ignis iste quasi sub lumbis exterius resplendet, quia universa gentilitas incarnati Dei est amore succensa.

28. Quod tamen intelligi et aliter potest, quia Redemptor noster Deus Dominus Jesus Christus per humanitatem suam hominibus innotuit, qui per divinitatem notus angelis et ante incarnationem fuit. Nobis ergo a lumbis inferius resplendet in circuitu, cujus ignis intrinsecus a lumbis superius ardet in coelo, quia illi coelestes spiritus **1247** eum in divinitate sua conspiciunt, et amoris ejus ignibus accenduntur. Nos vero, qui hunc ex assumpta humanitate diligimus, adhuc in hac corruptibili vita positi, splendorem ignis illius foris habemus. Unus itaque super thronum est, qui et super lumbos ignem intrinsecus habet in angelis, et sub lumbis ignem in circuitu habet in hominibus, quia in omne quod ab angelis amatur, per omne quod ab hominibus desideratur, unus est qui in cordibus ardet amantium. Hinc est enim quod magnae illae potestates angelicae Seraphin, id est incendium, nominantur. Hinc de ipso omnium Creatore scriptum est: *Deus noster ignis consumens est* **(Hebr. XII, 29; Deut. IV, 24)**. Ignis enim Deus dicitur, quia flammis amoris sui incendit mentes quas replet. Et idcirco seraphin incendium dicuntur, quia potestates ei proximae in coelis inaestimabili amoris ejus igne succensae sunt. Ex hoc igne succensa ardent in terra corda justorum. Hoc igne calefacta redeunt ad poenitentiam corda peccantium, quae inflammata vehementer timorem in amorem vertunt. Nam quae prius tabescere metu coeperant, postmodum igne amoris flagrant. Et quia ejus membra sunt electi angeli in coelo, ejus membra sunt conversi homines in terra; unus homo est qui et super lumbos ardet intrinsecus, et sub lumbis inferius ignis sui splendorem in circuitu emittit, quia et

angelos ad amorem suum per divinitatem tenuit, et homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate revocavit. Sequitur:

VERS. 28.---*Velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluviae.*

29. Arcum omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret, dicens: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis mei vobiscum* **(Genes. IX, 13)**. Unde et in arcu eodem color aquae et ignis simul ostenditur, quia et ex parte est coeruleus, et ex parte rubicundus, ut utriusque judicii testis sit, unius videlicet faciendi, et alterius facti, sed quia mundus quidem judicii igne cremabitur, sed jam non ulterius faciendi, aqua jam diluvii non deletur **(II Petr. III, 7)**. Quid est autem quod splendentem ignem a lumbis hominis throno praesidentis, sicut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviae, propheta conspexit? Quia enim per ignem, sicut dictum est, ardor sancti Spiritus designatur, quae similitudo est arcus et spiritus ut ignis qui apparuit quasi aspectus arcus apparuisse diceretur? Sed si ipsi quam praediximus visioni arcus intendimus, quomodo arcus significet spiritum videmus. In arcu quippe, sicut praefatus sum, aqua et ignis apparent. Et post Mediatoris adventum, eo virtus Spiritus sancti in humano genere claruit, quo electos Dei et aqua baptismatis lavit, et igne divini amoris incendit. Quasi enim admisto colore aquae simul et ignis quidam arcus in nube ad propitiationem ponitur, cum Veritas dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* **(Joan. III, 5)**. Qui arcus in nube est in

die pluviae, quia in dominica incarnatione, et in effusione praedicationis ostenditur, **1248** ut ad veniam corda credentium, Domino parcente, revocentur. Nubem enim Redemptoris carnem non inconvenienter accipimus, de qua per Psalmistam dicitur: *Qui ponit nubem ascensum suum* **(Psal. CIII, 3)**. Nubem quippe ascensum suum posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad coelestia ascendit. Expleta vero omni mystica visione, subjungit:

IBID., ET CAP. II, VERS. 1.---*Hic erat aspectus splendoris per gyrum, et haec visio similitudinis gloriae Domini.*

30. Quid enim in universo mundo sancti Spiritus gratia agat aspiciens, ait: *Hic erat aspectus splendoris per gyrum.* Quae vero interius ejusdem sancti Spiritus gloriae maneat, considerare volens, sed sicut erat non valens, subjungit: *Et haec visio similitudinis gloriae Domini.* Non enim ait: Visio gloriae, sed similitudinis gloriae, ut videlicet ostendatur quia quantalibet se intentione mens humana tetenderit, etiamsi jam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet sicut est. Sed quidquid de illa est quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est. Unde et ille praedicator qui raptus usque ad tertium coelum fuerat dicebat: *Videmus nunc per speculum in aenigmate* **(I Cor. XIII, 12)**.

31. Qua in re non despicienda nobis quaestio oritur, quomodo Joannes evangelista, cum erga miracula Redemptoris nostri Judaeorum perfidiam etiam ex verbis propheticis descripsisset, adjungit, dicens: *Haec dixit Isaias quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo* **(Joan. XII, 41)**. Et si

Ezechiel non gloriam, sed gloriae similitudinem vidit, quid est quod iste similitudinem gloriae, et ille ejus gloriam vidisse describitur? Sed cum Joannes evangelista prius miracula Redemptoris nostri narravit, atque infidelitatem Judaeorum postmodum subdidit, hanc ejusdem Redemptoris nostri gloriam, quae in mundo apparuit, Isaiam vidisse manifestat. Omne enim quod in terra mirum divinitus agitur gloria omnipotentis Dei est, et ejus gloria in omnibus factis videtur. Isaias ergo ejus gloriam in terra vidit; Ezechiel vero ejus gloriam in coelo, sicuti est, videre non potuit, quia aliter est gloria ejus in rebus factis, atque aliter in semetipso. Haec ergo ejus gloria quae in rebus est videri potest, illa vero quae in ipso est videri modo nisi per similitudinem non potest. Sed hanc eamdem similitudinem gloriae quia propheta vel sublevatus portare non potuerit cognoscamus. Sequitur:

IBID.---*Et vidi, et cecidi in faciem meam.*

32. Quid ergo de hoc viro fieret, si ita ut est ejus gloriam vidisset, qui similitudinem gloriae illius videns, sed ferre non valens, cecidit? Qua in re cum magno moerore pensare et considerare cum lacrymis debemus in quantam miseriam et infirmitatem cecidimus, qui et ipsum bonum ferre non possumus ad quod videndum creati sumus. Est tamen et aliud quod de prophetae facto consideremus in nobis. Propheta enim mox ut gloriae Domini similitudinem vidit, in faciem suam cecidit. Cujus similitudinem gloriae quia nos per **1249** spiritum prophetiae videre non possumus, hanc assidue cognoscere et sollicite contemplari in sacro eloquio, in coelestibus monitis, in praeceptis spiritualibus debemus. Qui cum aliquid de Deo conspicimus, in faciem nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, quae nos meminimus

perpetrasse. Ibi enim cadit homo, ubi confunditur. Unde et Paulus quasi quibusdam in facie jacentibus dicebat: *Quem ergo fructum habaistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* **(Rom. VI, 21)**?

33. Ecce coelestis gratiae dono largiente, obvolutum **1250** mysteriis libri initium in Ezechiel propheta discussimus, et dicta mystica mortaliter disserentes, volantem prophetiae theoriam ad terram traximus, ut quae prius parvulorum animis mihique similium volabat, sed non elevabat, jam nunc ab eis legatur et cognoscatur, et volet et levet. Agamus ergo gratias Redemptori nostro, qui spiritali semper alimento nos reficit, qui panis vivus descendit de coelo, et dat vitam mundo **(Joan. VI, 33)**. Qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX. *Ezechielis caput secundum explanatur; qua in expositione non solum multa moraliter explicantur, sed etiam non pauca de gratiae praevenientis necessitate, de liberi arbitrii consensu et cooperatione, de sacrae Scripturae obscuritate et interpretatione doctissime edisseruntur.*

1. Initium libri in Ezechiel propheta magnis obscuritatibus clausum, et quibusdam mysteriorum nodis ligatum, in homiliis octo, Domino nostro Jesu Christo largiente, discussimus. Jam nunc planiora sunt, et minus difficilia quae sequuntur. Charitati itaque vestrae colloquimur, eidem omnipotenti Deo gratias referentes, quia post tot opaca silvarum, tandem laeti ad campos exivimus, in quibus liberis gressibus locutionis nostrae intrepidum pedem ponamus. Ecce enim postquam propheta similitudinem gloriae Domini contemplatus, in faciem suam cecidit, adjungit:---EZECH. II, 1.---*Et audivi vocem loquentis, et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum.* Ubi adhuc subditur:

VERS. 2.---*Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me super pedes meos.*

2. Ecce divina vox jacenti prophetae jussit ut surgeret. Sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed haec implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens, *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini* **(Philip. II, 12)**, illico quis in eis haec ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* **(Ibid., 13)**. Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: *Sine me nihil potestis facere* **(Joan. XV, 5)**. Sed in his considerandum quia sic bona nostra si omnipotentis Dei dona sunt ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis aeternam retributionem quaerimus? Si autem ita nostra sunt ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo

gratias agimus? Sed sciendum est quia mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra, quia ipse aspirando nos praevenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quae volumus. Praeveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens: *Plus illis omnibus laboravi* **(I Cor. XV, 10)**. Qui ne suae videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* **(Ibid.)**. Quia enim coelesti dono praeventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens: *Non autem ego.* Sed quia praeveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bonum, quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum* **(Ibid.)**. Ac si diceret: In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In hoc enim quod solo Domini dono praeventus sum, non ego; in eo autem quod donum voluntate subsecutus, et ego. His igitur breviter contra Pelagium et Coelestium dictis, ad exponendi ordinem redeamus. *Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum* **(Ezech. II, 1)**.

3. Notandus nobis est ordo locutionis et operis, quia prius similitudo gloriae Domini apparet ut dejiciat, postmodum alloquitur ut elevet, deinde superabundantis gratiae spiritum mittit et levat, ac supra pedes statuit. Nisi enim aliquid de aeternitate in mente videremus, nunquam in faciem nostram poenitendo caderemus. Sed jam jacentes vox Domini consolatur ut in opere surgamus, quod tamen nos facere nostra virtute non possumus. Ipsius ergo non spiritus implet et levat, et super pedes nostros statuit, ut qui proni in poenitentia pro

culpa jacuimus, recti postmodum in bono opere stemus. Sed stans propheta quid audierit adjungit, dicens:

VERS. 2, 3.---*Et audivi loquentem ad me, et dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me.*

4. Sic propheta describit sua, ut significet nostra. Nam quid est hoc **(I p., dist. 30)** quod ei jacenti dicitur: *Sta super pedes tuos, et loquar tecum?* Qui enim jacenti loquebatur, cur non se nisi stanti promittit esse locuturum? Sed sciendum quia alia sunt quae jacentes, alia quae stantes audire debeamus. Jacenti enim dicitur ut surgat, stanti autem praecipitur ut ad praedicationem proficisci debeat. Adhuc **1251** enim in infirmitatis confusione jacentibus praeberi non debet auctoritas praedicationis. Sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare coeperimus, dignum est ut ad lucrandos alios in praedicationem mitti debeamus. Stans ergo propheta visionem spiritalem vidit, et cecidit; cadens vero jam monitionis verbum suscepit ut surgeret, surgens autem praeceptum audivit ut praedicaret. Nam qui adhuc ex superbiae vertice stamus, cum jam de aeternitatis timore aliquid sentire coeperimus, dignum est ut ad poenitentiam cadamus. Et cum infirmitatem nostram subtiliter cognoscentes humiliter jacemus, per divini verbi consolationem surgere ad fortia opera jubemur. Et cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut unde nosmetipsos correximus, inde jam praedicantes et alios levemus. Jacenti ergo non praecipitur ut ad praedicationem pergat, ne infirmus quisque hoc quod verbo aedificare potest opere destruat. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: *Eduxit me de lacu miseriae, et de luto*

faecis; statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro **(Psal. XXXIX, 3, 4)**. Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petra solidentur. Sed quia rectam fidem recta subsequi debet operatio, gressus ejus directi sunt, ut post directionem gressuum, id est post perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam novum canticum praedicationis. Sic Saulus, dum superbus Damascum pergeret **(Act. IX, 6)**, Redemptoris voce prostratus jacuit. Et qui praedicator futurus erat, non tamen mox ut praedicaret quod viderat audivit, sed ei jacenti dicitur: *Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere* **(Ibid., 7)**. Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret quod audiret; surgens vero hoc didicit, ut quae cognoverat praedicaret.

5. Sed quaerendum nobis est cur Ezechiel et Paulus in faciem cadunt, et de ascensore equi, id est de eo qui in hujus mundi gloria elatus est, dicitur: *Ut cadat ascensor ejus retro* **(Genes. XLIX, 17)**? Rursumque de persecutoribus Domini scriptum est: *Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* **(Joan. XVIII, 6)**. Quid est hoc, quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit ibi procul dubio cadit, ubi non videt; qui vero ante se ceciderit, ibi cecidit, ubi videt? Iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia, timore compuncti, videntes humiliantur.

6. Notandum vero quod dicitur: *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me.* Sicut enim duobus modis a Deo receditur, ita duobus modis a Deo apostatae homines fiunt. Nam unusquisque a conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit apostata est, ita qui ad perversum opus quod deseruerat redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. Unum enim sine altero nil prodesse valet, **1252** quia nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant; sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri quam fidelis existeret **(Act. X, 4)**. Qua ex re colligitur quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab angelo dicitur: *Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* **(Ibid.)**, et mox pro eadem ascensione praecipitur ut ad Simonem mittat, qui ei veniens praedicare debeat, constat quia hoc petiit, unde meruit exaudiri. Sequitur:

VERS. 3, 4.---*Patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.*

7. Ecce est una culpa superbiae, quia *praevaricati sunt pactum.* Ecce altera obstinationis, quia *usque ad diem hanc.* Ecce in iniquitate filiorum culpa gravis imprudentiae, quia *dura facie,* quoniam mala quae faciunt, jam non erubescunt, et nunquam vel post culpas ad poenitentiam redeunt, quia *indomabili corde sunt.* Cum vero tantae pravitatis, tantaeque obstinationis sint hi ad quos propheta mittitur, quis jam non videat, quia persona prophetae a tam

perversis hominibus despici valeat? Sed ecce auctoritas personae tribuitur, cum subditur:

VERS. 4.---*Et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.*

Ac si aperte diceretur: Quia ex te despicieris, ex mea voce necesse est ut loquaris. Ne contemnaris ipse qui mitteris; verba mea proferens, ostende qui misit. Sequitur:

VERS. 5.---*Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est.*

8. Dum constat quod omnipotens Deus omnia sciat, mirandum valde est cur dicatur: *Si forte audiant, et si forte quiescant.* Quapropter sciendum nobis est quia ista dubitatio locutionis Dei non ex ignorantia, sed ex aliqua significatione descendit. Nam quis nesciat quod qui fecit et videt omnia, omnia sciat? Et per semetipsam in Evangelio Veritas de Antichristi praedicatoribus dicit: *Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* **(Matth. XXIV, 24)**. Cur hoc sub dubitatione dicitur, cum quid futurum sit a Domino praesciatur? Unum vero e duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri potest, electi non sunt. Et tamen dicitur: *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ista ergo Dominici sermonis dubitatio, ex electorum cordibus designatio tentationis fuit, quia qui electi sunt ad persistendum, per signa praedicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, *Si fieri potest,* hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, *Si fieri potest,* quia trepidabunt; et tamen dicuntur electi, quia non cadent. Dubitatio itaque sermonis a Domino in

electis exprimit trepidationem mentis. Quos et electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistant. Unde hic quoque dicitur: *Si forte audiant, et si forte quiescant.* Per hoc enim quod dicitur, *Si forte,* quia ex magna multitudine pauci audituri sint demonstratur. Per dubitationem ergo sermonum Dei quid significatur aliud, nisi paucitas auditorum?

1253 9. Notandum vero quod postquam mala parentum defunctorum dixerat, mittens prophetam ad filios dicat: *Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant.* Quid est dicere *Vel ipsi,* nisi quia eorum patres qui in culpa defuncti sunt audire noluerunt? Pensemus, rogo, quae virtus sit in hoc dominici sermonis defectu, ut dicat: *Si forte vel ipsi audiant.* Nobis hoc nobis aperte dicitur, qui afflicti, obsessi, conclusi, omnia quae in hoc mundo habuimus bona perdidimus. Urbes erutas, eversa castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias videmus; et tamen adhuc parentes nostros ad iniquitates sequimur, ab eorum elatione quam vidimus non mutamur. Et illi quidem inter gaudia, nos vero, quod est gravius, et inter flagella peccamus. Sed ecce omnipotens Deus iniquitates judicans, jam priores nostros abstulit, jam ad judicium vocavit. Nos adhuc ad poenitentiam exspectat, nos ad revertendum sustinet. Et qui in illis jam judicium exercuit, nobis suae patientiae longanimitatem praerogat, ne cum nostris nos prioribus perdat, dicens: *Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est.*

10. Omnis anima etiam post acceptam fidem in perversitate sua aut permanens, aut revertens, domus exasperans vocatur, quia eum quem per fidem susceperat repellit a se pravis moribus habitatorem Deum. Nam domus inhabitatur a

domino. Si ergo domus, quare exasperans? Si vero exasperans, quare domus, quae utique jam non habitatur? Sed domus, quia in ea Deus per fidem habitare coeperat; exasperans vero est, quia ab ea pravis moribus repulsus exiit, ut vacua remaneat, quam prius coelestis inhabitator replebat. Unde etiam, sicut Veritatis voce cognovimus nequissimus spiritus cum septem aliis rediens, domum scopis mundatam invenit **(Matth. XII, 45)**, quia mentem a virtutibus alienam replet. Sequitur:

IBID.---*Et scient quia propheta fuerit in medio eorum.*

11. Malis scire bonos, aut ad adjutorium salutis proficere, aut ad testimonium damnationis solet. Sciant ergo quia in medio eorum propheta fuerit, ut audita praedicatione aut adjuventur ut surgant, aut sic damnentur ut excusatione careant. Sequitur:

VERS. 6.---*Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.*

12. Patet ad quam perversos in praedicationem mittitur, qui ne timeat admonetur. Et quia pravi quique bona sibi loquentibus alia iniqua faciunt, et adhuc alia minantur, propter illa quae faciunt dicitur: *Ne timeas eos;* et propter hoc quod minatur, adjungitur: *Neque sermones eorum metuas.* Vel certe quia reprobi et mala bonis ingerunt, et eorum semper actibus derogant, propheta missus admonetur, ne eorum vel crudelitatem metuat, vel verba pertimescat. In hoc itaque quod dicitur: *Ne timeas,* prophetae datur auctoritas praedicationis. Et quia omnes qui in Deo vivimus organa veritatis sumus, ut

saepe per alium mihi, saepe vero aliis loquatur per me; sic nobis boni verbi inesse auctoritas debet, ut et is qui praeest **1254** dicat recta libere, et is qui subest inferre bona humiliter non recuset. Bonum enim quod majori a minore dicitur tunc vere bonum est, si humiliter dicatur. Nam si rectitudo sentiendi humilitatem loquendi perdiderit, radicem sensus in ramo linguae vitiavit. Quod videlicet vitium jam non ex ramo, sed ex radice est, quia nisi cor intumesceret, lingua minime superbiret. Inesse ergo ad loquendum priori humilis auctoritas, inesse autem minori libera humilitas debet. Sed saepe in hominibus ipse loquendi ordo confunditur, sicut et longe superius diximus. Nam aliquando quis per tumorem elationis loquitur, et loqui se per auctoritatem libertatis existimat; et aliquando alius per stultum timorem tacet, et tacere se per humilitatem putat. Ille locum sui regiminis attendens, non metitur sensum tumoris; iste, locum suae subjectionis considerans, timet dicere bona quae sentit, et ignorat quantum charitati reus efficitur tacendo.

13. Sic vero sub auctoritate superbia, et humanus timor sub humilitate se palliat, ut saepe nec ille valeat considerare quid Deo, nec iste quid debeat proximo. Nam ille dum eos qui sibi subjecti sunt conspicit, et ei cui omnes subjacent non intendit, in elatione attollitur, et de elatione sua velut de auctoritate gloriatur. Iste vero nonnunquam dum timet ne majoris gratiam amittat, atque per hoc aliquid temporalis damni sustineat, recta quae intelligit occultat, atque apud se tacitus ipsum timorem quo constringitur humilitatem nominat. Sed eum cui nil vult dicere, tacendo in cogitatione dijudicat; fitque ut unde se humilem existimat, inde gravius sit superbus. Discernenda ergo semper sunt libertas et superbia, humilitas

et timor, ne aut timor humilitatem, aut superbia se libertatem fingat. Ezechiel itaque quia non solum populo, sed etiam senioribus loqui mittebatur, ne incautum timorem humilitatem crederet, ut timere non debeat admonetur, dum dicitur: *Ne timeas eos.* Ac ne forte derogationis eorum verba pertimescat, adjungitur: *Neque sermones eorum metuas.*

14. Cur autem linguas derogantium timere non debeat, etiam causa subjungitur, cum protinus subinfertur: *Quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Timendi enim essent hi quibus loqui mittebatur, si in fide et opere Deo omnipotenti placuissent. Quia autem increduli et subversores sunt, in suis sermonibus derogantes, timendi non sunt, quia stultum valde est si illis placere quaerimus quos non placere Domino scimus. Debent autem haberi in metu et reverentia judicia justorum, quia membra omnipotentis Dei sunt, et hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit e coelo. Nam perversorum derogatio vitae nostrae approbatio est, quia jam ostenditur nos aliquid justitiae habere, si illis displicere in ipimus qui non placent Deo. Nemo etenim potest in una eademque re omnipotenti Domino atque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo se amicum denegat, qui ejus placet inimico. Et inimicis veritatis adversabitur, **1255** qui eidem veritati in mente subjugatur. Unde sancti viri in vocis liberae increpatione succensi, eos ad sua odia excitare non metuunt, quos Deum non diligere cognoscunt. Quod Propheta ardenter exhibens, creatori omnium quasi in munere obtulit, dicens: *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam* **(Psal. CXXXVIII, 21)**? *Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi* **(Ibid., 22)**. Ac si

aperte dicat: Pensa quantum te diligo qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco. Hinc etenim dicit: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam subsecutus sum justitiam* **(Psal. XXXVII, 21)**. Bonum valde est quod justus tribuit, quando male agentibus libera voce contradicit. Sed perversi mala pro bonis retribuunt cum justis derogant, quia contra eos justitiae defensionem servant. Non enim justi humana judicia, sed aeterni judicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba contemnunt. Hinc etenim derogantibus Corinthiis Paulus dicebat: *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die* **(I Cor. IV, 3)**. Qui nec in corde suo unde se reprehendere potuisset inveniens, adjungit: *Sed neque meipsum judico.* Videns autem quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum judicium sufficeret, subdidit: *Sed non in hoc justificatus sum.* Cur vero nec sibimetipsi de seipso credidit, causam reddidit cum subjungit: *Qui autem judicat me Dominus est* **(Ibid., 4)**. Ac si aperte dicat: Nec meo de me judicio credendum existimo, quia ille me judicat, cujus ego judicium non comprehendo. Hinc beatus Job cum per amicorum derogantium linguas inter dolores vulnerum pateretur jacula verborum, cogitatione protinus ad conscientiam recurrit, atque ubi mentem solidam haberet, aspexit dicens: *Ecce enim in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis* **(Job. XVI, 20)**. Qui etiam subdidit: *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus* **(Ibid., 21)**.

15. In omne enim quod de nobis dicitur, semper taciti recurrere ad mentem debemus, interiorem testem et judicem quaerere. Quid enim prodest si omnes laudent cum conscientia accuset? Aut quid poterit obesse si omnes nobis

derogent, et conscientia sola nos defendat? Beatus ergo Job inter linguas derogantium inflexa mente persistens, quia in terra se impugnari falsis sermonibus vidit, in coelo testem quaesivit. Hinc Isaias ait: *Populе meus, qui beatificant te, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* **(Isai. III, 12)**. Qui videlicet populus ne verba suae laudis attenderet, et in culpis altius periret, statim dicitur quem aspiciat, cujus judicium pertimescat, cum subditur: *Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos* **(Ibid., 13)**. Ac si aperte diceretur: Judicia humana cur sequeris, qui stare super te coelestem judicem scis.

16. Hinc est quod Joannem Baptistam Veritas esse arundinem vento agitatam negat, dicens: *Quid existis videre in desertum? Arundinem vento agitatam?* **(Matth. XI, 7, seq.)** Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur. Ait enim: *Sed quid existis videre in deserto? Hominem mollibus* **1256** *vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* Arundo autem vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est. Quod Joannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum et derogationes tenebat.

17. Sed magna inquisitione res indiget, cum recti operis viam tenemus, utrum semper despicere derogantium verba debeamus, an certe aliquando compescere. De qua re sciendum est quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus aequanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; aliquando autem etiam compescere, ne, dum de nobis

mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant corda innocentium corrumpant. Hinc est enim quod Joannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens: *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrepes non recipit nos; propter hoc si venero, commoneam ejus opera quae facit, verbis malignis garriens in nos* **(III Joan., 9)**. Hinc Paulus iterum de detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes, praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis; hoc cogitet qui hujusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in opere* **(II Cor. X, 10)**.

18. Hi etenim quorum vita in exemplum imitationis est posita debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, et, in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Sed hac in re, subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suae laudis gloriam quaerat, et animarum lucra se quaerere nostra cogitatio simulet. Saepe enim sui nominis laude animus pascitur, et quasi sub obtentu lucrorum spiritalium, cum de se bona dici cognoverit laetatur. Et saepe suae gloriae defensione contra detrahentes irascitur, et fingit sibimet quod hoc ex eorum zelo faciat quorum corda a bono itinere detrahentis sermo perturbat. Illi ergo debent magnopere curare ne contra eorum opinionem detrahentium verba praevaleant, qui suam conscientiam subtiliter discutientes, se in ea inveniunt de amore privatae gloriae nihil habere.

19. Hinc est enim quod justi atque perfecti aliquando virtutes suas praedicant, bona quae divinitus acceperunt narrant, non ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos

quibus praedicant exemplo suo ad vitam trahant. Unde Paulus apostolus quoties fustibus caesus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate sustinuit, quod ad tertium coelum raptus, quod in paradisum ductus sit, Corinthiis narrat **(II Cor. XI, 25)**, ut eorum sensum a falsis praedicatoribus avertat, ut dum se innotesceret qualis esset, illi eis vilescerent, quos ab eis cognoverat inique venerari. Quod perfecti cum faciunt, id est cum **1257** virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, ut ab hominibus cognoscatur. Nam cum per Scripturam suam praecipiat, dicens: *Laudet te alienus, et non os tuum* **(Prov. XXVII, 2)**, quomodo facit ipse quod prohibet? Sed si virtutes suas omnipotens Deus taceret, eum nullus agnosceret; si eum nullus agnosceret, nullus amaret; si nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Unde et per Psalmistam de eo dicitur: *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis haereditatem gentium* **(Psal. CX, 6)**. Virtutes ergo suas annuntiant, non ut laudibus suis ipse proficiat, sed ut hi qui hunc ex sua laude cognoverint ad perpetuam haereditatem veniant. Justi itaque atque perfecti non solum cum vituperationis suae verba reprehendunt, sed etiam cum virtutes quas habent infirmis loquuntur reprehensibiles non sunt, quia per suam vitam quam referunt aliorum animas ad vitam quaerunt.

20. De quibus tamen sciendum est quia nunquam bona sua detegunt, nisi eos, ut dixi, aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Unde Paulus apostolus cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adjunxit: *Factus sum insipiens, vos me coegistis* **(II Cor. XII, 11)**. Fit vero aliquando, ut

necessitate compulsi, in bonis quae de se referunt, non aliorum utilitatem, sed suam requirant, sicut beatus Job facta sua enumerat, dicens: *Oculus fui caeco, et pes claudo, pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* **(Job. XXIX, 15, 16)**. Et multa alia quae saepe egisse se commemorat. Sed quia, in vulnere doloris positus, ab amicis increpantibus ipse impie egisse, et violentus proximis atque oppressor pauperum fuisse dicebatur, vir sanctus, inter flagella Dei et humanae increpationis verba deprehensus, mentem suam graviter concuti atque ad desperationis foveam conspexit impelli; qui jamjamque cadere poterat, nisi ad memoriam sua bene acta revocasset, ut ad spem animus reduceretur, ne oppressus verbis et vulneribus in desperatione periret. Quod ergo bona sua enumerat, non innotescere aliis quasi ex laude desiderat, sed ad spem animum reformat. Justi itaque sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quae agunt, ita sine zelo privatae gloriae detrahentium sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cum vero linguae derogantium corrigi nequeunt, aequanimiter sunt per omnia tolerandae. Nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur. Unde nunc Ezechieli prophetae dicitur: *Sermones eorum ne metuas, quia increduli et subversores sunt tecum.*

21. Minus autem mali essent, si hi qui sunt increduli subversores minime fuissent. Quia enim ipsi vel coelestis regni praemia, vel gehennae esse supplicia non credunt, in suis pravitatibus dimissi, a fide et opere etiam alios subvertunt, ut regnum quod ipsi appetere non volunt, nec alter assequatur. Hi namque cum teneriores quosdam bona

incipere, mala jam devitare cognoverint, modo irridendo quod in coelis promittitur, modo **1258** despiciendo quod Deus omnipotens de inferni suppliciis minatur, modo laudando bona temporalia, et delectationes praesentis saeculi callida persuasione pollicendo, deflectunt mentes innocentium, eorumque itinera pervertunt. Gaudent si quos potuerint a vita revocare, ad mortem trahere; laetantur in pravitatibus suis, exsultant et in alienis. His nimirum poena sua non sufficit, qui agunt ne soli moriantur. At si fortasse justum quempiam tantae jam virtutis invenerint, ut ei loqui contraria non praesumant, quia subversores esse non possunt, statim scorpiones fiunt. Scorpio enim palpando incedit, sed cauda ferit; nec mordet a facie, sed a posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt omnes blandi et malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox ut recesserint derogant, alios quos valuerint inflammant, quaeque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occulte non desinunt. Scorpiones ergo sunt qui blandi et innoxii in facie videntur, sed post dorsum portant unde venenum fundant. Qui enim in occulto feriunt quasi mortem latenter trahunt. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis* **(Psal. CXVII, 12)**. Apes enim in ore mel habent, in aculeo caudae vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. Ista vero facientes exardescunt sicut ignis in spinis, quia per flammas detrahentium non justorum vita comburitur, sed si quae in eis esse poterant peccatorum spinae, concremantur. Dicatur ergo: *Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Increduli scilicet Deo, subversores vero infirmantibus proximis, scorpiones

autem etiam fortibus et robustis. Quibus etsi in facie contradicere non praesumunt, ex occulto tamen vulnus derogationis inferunt. Increduli quippe simul et subversores et scorpiones sunt, quia et audita ea quae Dei sunt non credunt, et eos quos praevalent a bonis moribus subvertunt, et quos inflectere non valent occultis machinationibus feriunt.

22. Qua in re hoc quoque notandum est, quia cum prophetae dicitur: *Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas,* nobis consolationis medicamentum profertur, quos saepe taedet vivere, dum nolumus cum malis habitare. Querimur etenim cur non omnes boni sunt qui nobiscum vivunt. Mala proximorum ferre nolumus, omnes sanctos jam debere esse decernimus, dum esse nolumus quod ex proximis portemus. Sed hac in re luce clarius patet, dum malos portare renuimus, quam multum adhuc ipsi de bono minus habeamus. Neque enim perfecte bonus est, nisi qui fuerit et cum malis bonus. Hinc beatus Job de semetipso asserit, dicens: *Frater fui draconum, et socius struthionum* **(Job. XXX, 29)**. Hinc Paulus apostolus discipulis dicit: *In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* **(Philip. II, 15)**. Hinc Petrus gregis dominici pastor dicit: *Justum Lot oppressum a nefandorum injuria conversatione eripuit.* **1259** *Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant* **(II Petr. II, 7)**. Saepe vero cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitae remotioris eligere; videlicet ignorantes quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Idem enim Lot de quo loquimur, in Sodomis sanctus exstitit, in monte

peccavit **(Genes. XIX, 2, 30, seq.)**. Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradiso cecidit **(Genes. III, 7)**. Sed minus sunt omnia quae loquimur ex terra. Nam si locus salvare potuisset, Satan de coelo non caderet. Unde Psalmista ubique in hoc mundo tentationes esse conspiciens, quaesivit locum quo fugeret, sed sine Deo invenire non potuit munitum. Ex qua re et ipsum sibi locum fieri petiit, propter quem locum quaesivit dicens: *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias* **(Psal. XXX, 3)**. Tolerandi ergo ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet quem Cain malitia non exercet.

23. Unum vero est pro quo vitari societas debet malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant; et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* **(I Cor. XV, 33)**. Et sicut per Salomonem dicitur: *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae* **(Prov. XXII, 24)**. Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos saepe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem declinare debent pravorum, ne mala quae frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, et assidui iniquitate sermonis. Sequitur:

IBID.---*Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.*

24. Ideo boni timendi sunt ne offendantur, ne forte per eos ille provocetur ad iram, qui eorum corda semper inhabitat. Nam, sicut superius dictum est, si malos offendimus, timere minime debemus, quoniam illis nostra actio displicet, quibus nec justitia creatoris placet. Quid ergo timendum est, si nobis ingrati sunt, qui Deo amabiles noh sunt? Unde recte nunc dicitur: *Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.* Ac si aperte diceretur: Timendi essent, nisi me in suis actibus exasperarent. De quibus adhuc subditur:

VERS. 7.---*Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant, quia irritatores sunt.*

25. Omnis qui peccat, quid aliud quam conditoris sui in se iracundiam irritat? Et scimus quia quoties actu, quoties verbo, quoties cogitatione delinquimus, Deum contra nos toties irritamus. Sed tamen sustinet, et clementer exspectat, per se patientiam, per praedicatores autem suos verbum nobis exhortationis praerogat. Omnis autem **1260** qui recta praedicat, si auditur, iram irritati creatoris super praevaricatorem populum placat. Unde necesse est ut ipse non debeat agere malum, quod solet in populo furorem conditoris sui irritare. Propter quod etiam subditur:

VERS. 8.---*Tu autem, fili hominis, audi quaecunque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est.*

26. Id est, mala quae fieri conspicis, ipse non facias, ne hoc quod prohibere mitteris ipse committas. Omnis etenim

praedicator intenta semper debet mente pensare ne qui missus est lapsos erigere ipse in pravitate operis cum lapsis cadat, et Pauli hunc sententia feriat dicentis: *In quo alterum judicas teipsum condemnas* **(Rom. II, 1)**. Unde Balaam Dei spiritu repletus ad loquendum, sed tamen in carnali vita suo spiritu detentus, de semetipso loquitur, dicens: *Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos* **(Num. XXIV, 14, 16)**. Cadens apertos oculos habuit, qui rectum quod diceret vidit, sed recte vivere contempsit. Cadens videlicet in perverso opere, et apertos habens oculos in sancta praedicatione.

27. Est tamen aliud quod possit intelligi cur beatus Ezechiel, qui ad praedicationem mittitur, esse exasperans prohibetur. Nisi enim ad loquenda verba cum mittebatur obediret, omnipotentem Dominum sicut populus de perverso opere, sic propheta de suo silentio exasperasset. Nam sicut mali ideo Deum exasperant quia loquuntur vel faciunt mala, ita nonnunquam boni exasperant, quia reticent bona. Illis itaque culpa est perversa agere, istis recta reticere. In hoc ergo cum malis etiam boni simul Deum exasperant, quia cum perversa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiam praestant. Sequitur:

IBID.---*Aperi os tuum, et comede quaecunque do tibi.*

28. Aperimus os nostrum cum recta loquimur; et comedimus quae a Deo accipimus, quia et tribuitur et augetur in nostris sensibus cibus vitae, cum praedicare coeperimus. Unde propheta alius dicit: *Os meum aperui, et attraxi spiritum* **(Psal. CXVIII, 131)**. Non enim spiritum attraheret,

nisi os aperiret, quia nisi ad praedicandum proximis se impenderet, spiritalis doctrinae in eo gratia non crevisset. Sequitur:

VERS. 9.---*Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris.*

29. Sicut per prophetam praedicatorum ordo, sic per librum quem accepit Scripturae sacrae paginae designantur. Liber autem involutus est Scripturae sacrae eloquium obscurum, quod profunditate sententiarum involvitur, ut non facile sensu omnium penetretur. Sed coram propheta liber expanditur, quia coram praedicatoribus sacri eloquii obscuritas aperitur. Involutum librum manus Dei porrexerat, cum apostolis dicebat: *Simile factum est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio trilici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania* **(Matth. XIII, 24, seq.)**, et reliqua quae charitas vestra etiam me reticente reminiscitur. Sed librum quem involutum **1261** ostenderat expandit cum hoc quod per aenigmata loquebatur exposuit dicens: *Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea est diabolus. Messis vero consummatio saeculi, messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi* **(Matth. XXIII, 37, seq.)**. Involutus itaque liber expanditur, quando hoc quod obscure prolatum fuerat, per latitudinem intellectus aperitur. Hunc involutum librum Veritas expandit quando in

discipulis egit quod scriptum est: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* **(Luc. XXIV, 43)**.

30. De quo adhuc libro subditur: *Qui erat scriptus intus et foris.* Liber enim sacri eloquii intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam. Intus per spiritalem intellectum, foris autem per sensum litterae simplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus, quia invisibilia promittit; foris, quia visibilia praeceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia coelestia pollicetur, foris autem quia terrena contemptibilia qualiter sint, vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda, praecipit. Alia namque de secretis coelestibus loquitur, alia vero in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem quae foris praecipit patent, sed illa quae de internis narrat plene apprehendi nequeunt. Unde scriptum est: *Extendens coelum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus* **(Psal. CIII, 2)**. Quid enim coeli nomine nisi sacra Scriptura signatur? De qua nobis et sol sapientiae, et luna scientiae, et ex antiquis Patribus stellae exemplorum atque virtutum lucent. Quod sicut pellis extenditur, quia, per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: *Et aquae quae super coelos sunt laudent nomen Domini* **(Psal. CXLVIII, 4)**. Hujus coeli superiora Dominus in aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea quae de natura divinitatis vel de aeternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Coelum ergo hoc et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora ejus conteguntur, quia et quaedam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et

quaedam quae solis angelis possunt esse manifesta nobis adhuc servantur occulta. De quibus tamen occultis jam partem per spiritalem intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus, quia haec et plene necdum cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritalibus sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

31. Dicat ergo: *Qui erat scriptus intus et foris,* quia in sacro eloquio et dictis occultioribus atque sublimioribus satiantur fortes, et praeceptis apertioribus nos parvuli nutrimur. Unde scriptum est: *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis* **(Psal. CIII, 18)**. Habeant enim montes intelligentiae, qui jam contemplationis saltus dare noverunt. Sed petra sit refugium herinaciis, quia nos parvuli et peccatorum nostrorum **1262** spinis cooperti, etsi intelligere alta non possumus, in petrae nostrae refugio, id est, in Christi fide salvamur. Unde et quibusdam dicitur: *Nihil me judicavi scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* **(II Cor. II, 2)**. Ac si diceret: Quia vos capere divinitatis ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis humanitatis ejus infirma locutus sum. Sequitur:

IBID.---*Et scriptae erant in eo lamentationes, carmen, et vae.*

32. Carmen aliquando in bono, aliquando vero in malo dici dubium non est, quia et laetum carmen, et lugubre carmen dicere possumus. Sed nos Scripturae sacrae usum sequentes, quae pene semper carmen ponere in prosperis solet, hoc in loco pro bona parte dictum carmen accipimus. Nam cum omnipotens Deus populum suum de mari Rubro liberasset, scriptum est: *Tunc Moyses et filii Israel cecinerunt carmen Domino* **(Exod. XV, 1)**. Et cum David victoriam de hostibus

fecisset, scriptum est: *Locutus est David Domino verba carminis hujus* **(II Reg. XXII, 1)**. Salomon quoque ait: *Acetum in nitro, et qui cantat carmina cordi pessimo* **(Prov. XXV, 20)**. Acetum quippe si mittatur in nitro, fervescit nitrum protinus et ebullit. Et perversa mens quando per increpationem corripitur, aut praedicationis dulcedinem bona suadetur, de correptione fit deterior; et inde in murmurationis iniquitate succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci. Per Heliu quoque de ingrato ac sese desperante dicitur: *Et non dixit, Ubi est qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* **(Job. XXXV, 10)**. Carmen quippe in nocte est laetitia in tribulatione. Carmen in nocte accipimus, quando in pressuris praesentibus de futuris gaudiis consolamur. Carmen nobis in nocte ostendebat apostolus cum dicebat: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* **(Rom. XII, 12)**. Carmen in nocte se David habere indicat, dicens: *Tu es mihi refugium a pressura quae circumdedit me; exsultatio mea, redime me a circumdantibus me* **(Psal. XXXI, 7)**. Qui enim circumdari se pressuris narrat, et tamen Deum sibi esse exsultationem nominat, procul dubio carmen in nocte cantat. Quia igitur pene semper in bono carmen ponere Scriptura sacra consuevit, ita a nobis etiam in hoc loco debet intelligi.

33. Vae autem in Scriptura sacra saepius de aeterno luctu quam praesenti solet intelligi. Unde scriptum est: *Vae impio in malo; retributio enim manuum ejus fiet ei* **(Isai. III, 11)**. Et beatus Job loquitur, dicens: *Si impius fuero, vae mihi est; si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria* **(Job. X, 15)**. Justorum enim afflictio temporalis est. Vae ergo quod dixit, a temporali afflictione distinxit, qui et justum afflictionem, et impium vae habere perhibuit. Per

semetipsam quoque Veritas dicit: *Vae mundo a scandalis* **(Matth. XVIII, 7)**, et, *Vae vobis qui ridetis, quoniam flebitis* **(Luc. VI, 25)**. Et, *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus* **(Ibid., XXI, 23)**. Pensandum ergo nobis est quomodo haec tria in sacro volumine scripta sint, lamentationes, carmen, et vae.

34. Lamentationes videlicet, quia in eo scripta est poenitentia peccatorum. Carmen vero, quia ibi praenuntiantur gaudia justorum. Vae autem, **1263** quia illic expressa est damnatio reproborum. Ut ergo peccata punias, lege quae in hoc volumine scripta sunt lamenta: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* **(Joel. II, 13)**. Et rursus: *Miseri estote, et lugete; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem* **(Jac. IV, 9)**. Ut autem de promissione gaudii sequentis hilarescas, cognosce quae in hoc volumine scripta sunt carmina laudis aeternae: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te* **(Psal. LXXXIII, 5)**. Et sicut per quemdam sapientem de coelesti Jerusalem dicitur: *Et lapide pretioso et mundo omnes plateae ejus sternentur, et per omnes vicos ejus alleluia cantabitur* **(Tobiae XIII, 22)**. Hoc nobis carmen coelestis patriae nuntiare cives ejus venerant, qui concorditer clamabant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* **(Luc. II, 14)**. Sed si adhuc praesenti saeculo mente inhaeres, si adhuc terrenis voluptatibus delectaris, amare non potes gaudia aeterna quae audis. Cognosce ergo in hoc volumine vae quod in eo scriptum est, atque ab animo per timorem expelle quod diligis, ut possis ex judicio carmen amare quod legis. Ibi quippe sub unius damnati specie multitudo omnis exprimitur reproborum, cum voce Veritatis

dicitur: *Ligatis pedibus ejus ac manibus, mittite eum in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium* **(Matth. XXII, 13)**. Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo nec bene operando sequerentur. In quibus ligatis pedibus ac manibus mitti praecipiuntur, quia nunc dum tempus operandi atque currendi est, habere manus et pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi vae reproborum scriptum est: *Vermis eorum* **1264** *non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* **(Isai. LXVI, 24)**. Ibi damnatis ac repulsis dicitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* **(Matth. XXV, 41)**. In hoc itaque volumine cuncta quae aedificant, omnia quae erudiunt, scripta continentur. Peccasti enim, et jam te poenitet illicita perpetrasse, ut ad agendam poenitentiam docearis, ibi invenis lamenta. Spe coelestium gaudiorum mentem relevare desideras, ibi ad consolationem tuam invenis carmen. Sin vero et mala perpetrasti, et haec te perpetrasse non poenitet, sed cervicem mentis erigis, ad nullas poenitentiae lamentationes inclinaris, nulla coelestium gaudiorum exspectatione corrigeris, velis nolis, ibi scriptum auditurus es vae, ut quem nec timor ad poenitentiam humiliat, nec spes ad superna praemia exaltat, damnationis suae jam nunc poenam prospiciat, et sine excusatione in aeternum supplicium cadat.

35. Quid igitur, fratres, quid agendum est miseris nobis, nisi ut evigilemus ad hujus verba voluminis, et mala quae nos egisse meminimus fletibus puniamus, ut per lamenta poenitentiae perveniamus ad carmen vitae? Ne si affligi modo poenitendo nolumus, vae postmodum sine fine sentiamus.

Nec nos nostrorum vulnerum multitudo in desperationem deprimat, quia major est potentia medici, quam magnitudo languoris nostri. Quid est enim quod reparare ad salutem non possit, qui potuit omnia ex nihilo creare? Unigenitus quippe est omnipotenti Patri coaeternus, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X. *In explicatione priorum versuum capitis tertii usque ad quintum decimum commendat maxime Scripturam sacram, ejus assiduam lectionem, meditationem, et praedicationem.*

1. Solent quidam scripta sacri eloquii legentes, cum sublimiores ejus sententias penetrant, minora mandata quae infirmioribus data sunt tumenti sensu despicere, et ea velle in alium intellectum permutare. Qui si recte in eo alta intelligerent, mandata quoque minima despectui non haberent, quia divina praecepta sic in quibusdam loquuntur magnis, ut tamen in quibusdam congruant parvulis, qui per incrementa intelligentiae quasi quibusdam passibus mentis crescant, atque ad majora intelligenda perveniant. Unde nunc sancto prophetae dicitur:

EZECH. III, 1.---*Fili hominis, quodcunque inveneris comede.*

2. Quidquid enim in sacra Scriptura invenitur edendum est, quia et ejus parva simplicem componunt vitam, et ejus magna subtilem aedificant intelligentiam. Sequitur:

IBID., ET VERS. 2.---*Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo.*

3. Scriptura sacra cibus noster et potus est. Unde etiam Dominus per prophetam alium minatur: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini* **(Amos. VIII, 11)**. Qui ergo, subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri, quia ejus verba et cibus noster et potus sint demonstrat. Sed notandum quod aliquando cibus, aliquando potus sunt. In rebus enim obscurioribus quae intelligi nequeunt nisi exponantur, Scriptura sacra cibus est, quia quidquid exponitur ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus vero apertioribus potus est. Potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandato bibimus, quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quod multa Ezechiel propheta obscura atque perplexa auditurus erat, nequaquam ei de sacro volumine dicitur, bibe, sed *comede.* Ac si aperte diceretur: Pertracta et intellige, id est prius mande, et tunc degluti. Sed in verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut haec ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quae fecimus, vitemus ne alia faciamus.

4. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione coeperit esse fiducia, per verba Dei quae intelligimus ad vitam quoque et alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, **1265** ut et nobis prosint, et intentione

spiritali aliis conferantur. Unde bene nunc dicitur: *Comede volumen istud, et vade, loquere ad filios Israel.* Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede et pasce, saturare et eructa, accipe et sparge, confortare et labora.

5. Et notandum quod propheta subjungit, dicens: *Et aperui os meum et cibavit me volumine illo.* Os in corde esse alius Propheta testatur, dicens: *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala* **(Psal. XI, 3)**. Os ergo aperimus, quando sensum ad intelligentiam sacri verbi praeparamus. Itaque ad vocem Domini propheta os aperit, quia ad spiramentum dominici praecepti cordis nostri desideria inhiant, ut de cibo vitae aliquid sumant. Sed tamen hoc ipsum sumere nostrarum virium non est, nisi ipse cibaverit qui ut comedatur jussit. Ille etenim cibatur, qui per se edere non potest. Et quia ad capienda verba coelestia idonea nostra infirmitas non est, ipse nos cibat, qui nobis in tempore mensuram tritici temperat, quatenus in sacro verbo dum hodie intelligimus quod hesterno die nesciebamus, cras quoque comprehendamus quod hodie nescimus, per divinae dispensationis gratiam quotidiano alimento nutriamur. Omnipotens etenim Deus quasi toties ad os cordis nostri manum porrigit, quoties nobis intellectum aperit, et cibum sacri eloquii in nostris sensibus mittit. Cibat ergo nos volumine, cum sensum nobis Scripturae sacrae dispensando aperit, et ejus dulcedine nostras cogitationes replet. Unde et subditur:

VERS. 3.---*Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi.*

6. In translatione veteri non habetur, *Venter tuus comedet,* sed, *Os tuum comedet, et viscera tua replebuntur.* Os enim nostrum comedit, dum verbum Dei legimus; viscera vero nostra complentur, cum intelligimus atque servamus ea in quibus legendo laboramus. In posteriori autem translatione, quam et veraciorem credimus, scriptum est: *Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur.* In sacro vero eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit. Unde per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum, ventrem meum doleo* **(Jerem. IV, 19)**. Quod quia de spiritali et non corporeo ventre dixerat, adjunxit: *Sensus cordis mei conturbati sunt* **(Ibid.)**. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere praedicaret. Sed ventrem doluit qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum prophetae proferimus, cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* **(Joan. VII, 38)**. Quia enim de mente fidelium sanctae praedicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquae vivae flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas? **1266** Unde nunc recte dicitur: *Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur,* quia cum mens nostra pabulum veritatis acceperit, interna nostra non jam vacua remanent, sed alimento vitae satiata.

7. Pensemus, charissimi fratres mei, quam sit pia ista promissio, qua dicitur: *Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi.* Multi etenim

legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem praedicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt. Quorum etsi venter comedit, viscera non replentur, quia etsi mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliviscendo et non servando quae audierint, haec in cordis visceribus non reponunt. Hinc est enim quod per prophetam alium quosdam Dominus increpat, dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati* **(Aggae. I, 6)**. Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis coelestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit et non satiatur, qui, verba Dei audiens, lucra vel gloriam saeculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, quia aliud mandit, et aliud esurit. Bibit et non inebriatur, qui ad vocem praedicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quae sunt hujus saeculi adipisci desiderat, bibit, et debriatus non est. Si enim debriatus esset procul dubio mentem mutasset, ut jam terrena non quaereret, jam vana et transitoria quae amaverat non amaret. De electis namque per Psalmistam dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae* **(Psal. XXXV, 9)**. Quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur, implentes quod scriptum est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum* **(Matth. XVI, 24)**. Semetipsum abnegat qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

8. Saepe autem quosdam videmus ad vocem praedicationis, quasi ex conversione compunctos, habitum, non animum mutasse, ita ut religiosam vestem sumerent, sed anteacta vitia non calcarent; irae stimulis immaniter agitari, malitiae dolore in proximi laesionem fervescere, de ostensis quibusdam bonis ante humanos oculos superbire, praesentis mundi lucra inhianter quaerere, et de solo exterius habitu quem sumpserunt, sanctitatis fiduciam habere. Quibus quid aliud dicendum est, nisi hoc quod magister egregius quibusdam legis exteriora servantibus loquitur, dicens: *Quia in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura* **(Gal. V, 6)**? Non enim magni est meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magnopere pensandum est quid agatur in mente.

9. Nam praesentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo et proximo sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et, custodita patientia, dolorem malitiae a corde repellere, egenis propria **1267** tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum et eos qui inimici sunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus qui inimicus est non exsultare, haec est nova creatura, quam idem magister gentium apud alios discipulos vigilanti oculo requirit, dicens: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova* **(II Cor. V, 17)**.

10. Ad veterem quippe hominem pertinet praesentem mundum quaerere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiae de proximi laesione cogitare, sua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quaerere, nullum

pure propter Deum diligere, inimicitias mimicitiis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta haec vetusti sunt hominis, quae videlicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui jam ista exsuperat, et ad praecepta dominica mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur: *Quia vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.*

11. Tunc ergo in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transeunt; et tunc vitia vetusti hominis transeunt, quando sacriverbi praeceptum venter comedit, et viscera medullitus replentur. Saepe enim quosdam vidimus tota se mente ad sanctae lectionis studium contulisse, atque, inter verba dominica recognoscentes in quantis deliquerint, semetipsos in lacrymis mactare, moerore continuo affici, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari, ita ut eis vita praesens oneri et lux ipsa fastidio fieret; vix ad colloquendum communia admittere, atque a rigore disciplinae animum difficile relaxare, pro amore conditoris, luctu solummodo et silentio gaudere. Horum venter sacrum volumen comedit, et viscera repleta sunt, quia praecepta vitae quae sensus capere potuit memoria non amisit, sed haec collectus in Deo animus lugendo semper et recolendo servavit.

12. Et fit plerumque ut tales quique ex dono caelestis gratiae etiam verbum doctrinae percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant et proximos suaviter pascant. De quorum profecto ore praedicatio tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio contraria suis praedicationibus non est, quia de propria vita sumunt quod per linguam proximis conferunt. Unde recte hic quoque propheta subjungit:

IBID.---*Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.*

13. Liber qui viscera replevit dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi de omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitae viscera mandatis illius replentur, quia ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est ut qui verbum Dei loquitur prius studeat qualiter vivat, ut pos ex vita colligat **1268** quae et qualiter dicat. Ad praedicandum namque plus conscientia sancti amoris aedificat, quam exercitaio sermonis, quia amando coelestia intra semetipsum praedicator legit quomodo persuadeat ut despici debeant terrena. Qui enim vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admonendo alios aedificat, quasi in corde linguae calamum tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Unde admirabilis praedicator cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, securus adjunxit: *Si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate; quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite, et Deus pacis erit vobiscum* **(Phil. IV, 8, 9)**. Sequitur:

VERS. 4.---*Et dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos.*

14. In eo quod Dominus prophetae dicit, *Loqueris verba mea ad eos,* quid aliud quam ejus ori frenum moderaminis imponit, ne quae prius intus non audierit, foris dicere praesumat? Nam

prophetae falsi sua et non Dei verba loquebantur, de quibus scriptum est: *Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini* **(Jerem. XXIII, 16)**. Et rursum: *Non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant* **(Ibid., 21)**. Qua ex re quoque colligendum est quia et quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua et non Domini verba loquitur, si tamen placendi vel seducendi studio mentiatur. Nam si in verbis dominicis virtutem requirens, ipse aliter quam is per quem prolata sunt senserit, etiamsi sub intellectu alio aedificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quae narrat, quia ad hoc solum Deus per totam nobis sacram Scripturam loquitur, ut nos ad suum et proximi amorem trahat. Sequitur:

VERS. 5-7.---*Non enim ad populum profundi sermonis et ignotae linguae tu mitteris, ad domum Israel; neque ad populos multos profundi sermonis et ignotae linguae quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*

15. In ipso jussionis exordio quo propheta ad praedicandum mittitur, aperte et vocatio gentium et Israelitarum repulsio designatur. Nam cum dicitur: *Non ad populos multos profundi sermonis et ignotae linguae mitteris quorum non possis audire sermones,* atque statim subditur: *Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te,* aperte declaratur obedientia gentium, quae quandoque praedicatorum voces essent sine tarditate secuturae. Et cum subditur: *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me,* Judaeae duritia

designatur, quae verba praedicantium et cognovit, et sequi noluit. Ignota autem lingua gentium ad obediendum moram non fecit, quamvis extranea ab eloquio legis fuit. Bene autem dicitur: *Nolunt audire te, quia nolunt audire me,* secundum hoc quod scriptum est: *Qui vos spernit, me spernit* **(Luc. X, 16)**. Causa quoque cur non audiant subinfertur, cum dicitur:

VERS. 7.---**1269** *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.*

16. Cum domus Israel attrita fronte esse perhibetur, quid aliud sentiendum, quidve cogitandum est, nisi quod frontem cordis in impudentia atterit culpa frequens, ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur? Atque ideo ad tantam cordis duritiam quandoque peccator pervenit, ut jam in correptione sensibilis non sit, quia qui usu peccandi induruit nullo modo corripientis verbum, id est manum palpantis, sentit, sicut Judaeae quoque crebrius delinquenti dicitur: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* **(Jerem. III, 5)**. Vel certe attrita frons est in hujus mundi actibus assueta, quia sicut sunt nonnulli qui quietem cunctis mundi praemiis atque honoribus praeponunt, ita nonnulli ut in hoc mundo aliquid esse videantur terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur jurgiis. Et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per prophetam dicitur: *Ephraim vitula docta diligere trituram* **(Osee X, 11)**. Vitula etenim in tritura areae assueta, etiam si relaxatur a labore, sponte redit. Sic quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius quam si eis praecipitur ut in hujus mundi actibus non laborent. Nam saepe quidam repulsi ab actione terrena

deprecantur ut redeant, rogant ut premantur, grave se incurrisse periculum quietem putant. Attrita ergo fronte sunt, qui non solum labores non fugiunt, sed neque importuni videri in laboribus qui sibi negantur erubescunt. Sequitur:

VERS. 8.---*Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

7. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiae est; bonum vero erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est: *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam* **(Eccli. IV, 25)**. Qui enim erubescit poenitendo mala quae fecit, ad vitae libertatem pervenit. Qui vero erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* **(Luc. IX, 26)**. Et sunt quidam qui bona jam in mente concipiunt, sed necdum malis aperte contradicunt. Hi nimirum quia boni sunt in mente, sed auctoritatem non habent in locutione, apti ad veritatis defensionem non sunt. Ille enim esse veritatis defensor debet, qui quod recte sentit loqui nec metuit, nec erubescit. Unde nunc in magno munere prophetae promittitur: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Quid est autem peccator, nisi vulneratus? et qui praedicator, nisi medicus? Si ergo non erubescit peccator qui jacet in vulnere, cur erubescat medicus qui per medicamenta providet salutem? Saepe vero contingit ut praedicator reverenter audiatur; nonnunquam vero a perversis ita despicitur, ac si eis nihil utilitatis loquatur. Unde recte nunc dicitur:

VERS. IX.---*Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.*

18. Adamas et silex utraque dura; sed unum horum **1270** pretiosum est, alterum vile. Adamas ad ornamentum sumitur, silex ab itinerantibus calcatur. Et saepe contingit ut hos quos correptionem suam conspicimus nimis humiliter audire, verecundemur eis aliqua dicere. Nonnunquam vero evenit ut eos quos increpationem suam videmus postponere, et despectui habere, trepidemus eis verbum praedicationis inferre. Sed si recte sapimus, et ad eos a quibus nos honorari conspicimus, et ad eos a quibus nos despici videmus, auctoritatem exhortationis vel increpationis sumimus, ut nec illorum humilitatem debeamus erubescere, nec horum superbiam formidare. Dicatur ergo: *Dedi faciem tuam ut adamantem,* id est, si ab auditoribus honoraris; *Dedi faciem tuam ut silicem,* si ab auditoribus conculcaris atque despiceris, ut nec per illatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. Sequitur:

IBID.---*Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est.*

19. Hoc jam superius dictum est. Sed notandum quam aspera domus habetur, cujus asperitas tam crebro replicatur. Increpandus itaque peccator est, et nunquam timendus, quia domus exasperans est. Timeri enim homo debuerat, si ipse auctorem omnium ut homo timuisset. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habuit, tanto in nullo timendus est, quanto hoc quod esse debuit, non est. Sequitur:

VERS. 10, 11.---*Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi; et vade, ingredere ad transmigrationem filiorum populi tui.*

20. Vigilanter intuendum est quod voce Domini ad Prophetam dicitur ut prius sermones ejus audiat, et postmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, si facimus. Et tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: *Adducunt ci surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum* **(Marc. VII, 32)**. Cujus ordinem curationis insinuat, subdens: *Misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertae sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguae ejus, et loquebatur recte* **(Ibid., 33, seq.)**. Quid est enim quod creator omnium Deus cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, et expuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in alio loco ejecisset daemonium, dixit: *Si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* **(Luc. XI, 20)**. Qua de re per evangelistam alium dixisse describitur: *Si ego in spiritu Dei ejicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei* **(Matth. XII, 28)**. Ex quo utroque loco colligitur quia digitus Dei spiritus vocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod exspuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quae ipse est

dum lingua nostra tangitur, mox ad praedicationis verba formatur. **1271** *Qui suspiciens in coelum ingemuit;* non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere qui coelo praesidet docuit, ut et aures nostrae per dona Spiritus sancti aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinae locutionis solvi debeat ad verba praedicationis. Cui mox *Ephphetha, id est adaperire dicitur; et statim apertae sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguae ejus.* Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est *Adaperire.* Sed cui aures cordis ad obediendum apertae fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguae ejus vinculum solvitur, ut bona quae ipse fecerit etiam facienda aliis loquatur. Ubi et bene additur: *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur qui prius obediendo fecerit quae loquendo admonet esse facienda.

21. Quod vero ad transmigrationem populi admonendam propheta mittitur, non solum ea transmigratio debet intelligi quae ejus populi erat in corpore, sed etiam quae facta fuerat in mente. A Jerusalem quippe ad Babyloniam venerat. Et quid Jerusalem nisi visio pacis, quid Babylonia nisi confusio vocatur? Quisquis vero a rectis operibus in perversis actibus cadit, quoniam a bono studio ad vitia defluit, quasi ab Jerusalem ad Babyloniae civitatem venit. Culmen enim bonae contemplationis deseruit, atque in transmigratione confusionis jacet. Quod illis solet saepe evenire qui cum bona agunt, in his de sua virtute gloriantur. Unde Psalmista ne a visione pacis, id est a bonis actibus captivus ad Babyloniam emigraret, Domino supplicans, dicit: *Adjutor meus, non emigrabo* **(Psal. LXI, 7)**. Si enim in se confideret, a justitiae operibus cadendo migrasset.

22. Sed neque hi qui a statu rectitudinis in pravam actionem ceciderunt desperandi sunt, quia ecce propheta ad transmigrationem Babyloniae mittitur. Et per prophetam alium Dominus dicit: *Et venies usque Babylonem, et ibi liberaberis* **(Mich. IV, 10)**. Saepe enim quis postquam in confusionem vitiorum ceciderit, erubescens mala quae perpetravit, ad poenitentiam redit, seque a suis lapsibus bene vivendo erigit. Quid ergo iste nisi usque ad Babylonem venit, et ibi liberatus est? Qui postquam, confusus mente, perversa perpetravit, haec ipsa erubescens mala quae fecit, se contra se erigit, et bene operando ad statum rectitudinis redit. In Babylone itaque liberatus est, qui per divinam gratiam ostenditur etiam de confusione salvatus. Propheta ergo ad transmigrationem loquitur, cum illos increpat qui a statu rectitudinis ad erroris vitia transmigrando ceciderunt. Sequitur:

VERS. 11.---*Et loqueris ad eos, et dices: Haec dicit Dominus Deus: si forte audiant, et quiescant.*

23. Quod toties divinis vocibus difficultas audiendi repetitur, ut dicatur, *Si forte audiant,* quid aliud quam transmigrati populi duritia designatur? In quibus verbis magna est nostra consolatio, quia si omnipotens Deus prophetam mittens a perverso populo verba sua denuntiat difficile **1272** audiri, cur nos miseri contristamur, cum saepe a fratribus in nostra admonitione contemnimur? Nam crebro delinquentes alloquimur, frequenter increpamus, saepe cum eis blandis sermonibus agimus, et tamen si alter audit, alter audire contemnit; alter ex parte verbum exhortationis suscipit, et ex parte recipere recusat; ita ut quotidie impleri videamus hoc quod per prophetam alium Dominus narrat quae fecerit iratus,

cum dicit: *Plui super civitatem unam (De poen., dist. 3, c. Pluit Dominus), et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quae compluta non est uruit* **(Amos IV, 7)**. Cum enim sanctae exhortationis verba alia mens suscipit, alia suscipere recusat, super unam civitatem Dominus pluit, et super alteram non pluit. Cum vero et ipse proximus qui audit ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendare se contemnit, una eademque civitas et ex parte compluitur, et ex parte arida remanet, in qua a se praedicationis pluviam repellit. Sunt etenim quidam qui exhortationis verba omnino non audiunt, hi penitus suscipere pluviam nolunt. Et sunt quidam qui audiunt, sed tamen hanc medullitus non sequuntur, quia alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant. Saepe enim quosdam videmus qui per praedicationis verbum a semetipsis avaritiae aestum repellunt, et non solum jam aliena non rapiunt, sed et propria indigentibus largiuntur; nec tamen irae stimulos edomant, nec patientiae moderamina per mentis tranquilitatem servant. Et saepe alii ad exhortationis verbum in semetipsis jam carnis immunditiam vincunt, corpus in castitate custodiunt, nec tamen adhuc animum, sicut debent, proximis inclinant, sed per rigorem superbiae in cogitatione se elevant. In istis pars una compluta est, quia fructum fecit, et pars quae compluta non est aruit, quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit. Sequitur:

VERS. 12.---*Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae; Benedicta gloria Domini de loco suo.*

24. Quid est hoc, quod propheta postquam ad transmigrationem filiorum populi mittitur, vocem post se

magnae commotionis audit, dicentem: *Benedicta gloria Domini de loco suo?* Conversus quippe ad peccatores Babyloniae fuerat, et vocem gloriae Domini de loco suo post tergum audiebat. Locus enim est Dei Jerusalem, id est visio pacis, quia nimirum illa corda vident ea quae Dei sunt, quae ad transmigrationem Babyloniae, hoc est ad confusionis vitia, non descendunt. Ibi enim inhabitat Deus ubi vera pax quaeritur, internae contemplationis gloria amatur. Nam qui ad perversitatem defluunt, locus Dei esse contemnunt. Locus ergo gloriae Dei est vel sancta quaeque anima, vel unusquisque in coelestibus permanens angelicus spiritus. Et gloria Domini de loco suo benedicitur, cum vel ab electis hominibus, vel a sanctis angelis auctori omnium laus aeterna cantatur. In eo ergo quod justi de convertendis peccatoribus cogitant, quia eorum vitia **1273** considerando ad carnales actus oculum ducunt, quasi ad Babyloniam intendunt. Qui tamen pro statu suae rectitudinis, quia in laudem Dei bona sanctorum considerare nunquam desinunt, quamvis per cogitationem alio intendant, quasi post se vocem gloriae Domini a Jerusalem, id est de loco suo audiunt.

25. Sed cur in istis immoramur, qui haec prophetae verba, largiente Domino, per sensum alterum et subtilius intelligere, et apertius dicere valemus? Ait enim: *Et assumpsit me spiritus.* Praedicatorem spiritus assumit, cum ejus mentem in amorem Dei omnipotentis elevatam a terrenis jam desideriis alienam reddit, ut nihil ei agere libeat, nisi ea quibus lucra spiritalia congreget, et ad regna coelestia quotidiani sui operis fructum portet. Unde et nobis praedicatoribus jubetur: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* **(Joan. VI, 27)**.

26. Bene autem subditur: *Et audivi post me vocem commotionis magnae.* Propheta, sancto Spiritu repletus, quasi transacta narrat, quae facienda praevidet, quia et in praedestinatione jam facta sunt, quae adhuc in opere sequuntur. Unde et in translatione veteri per Isaiam dicitur: *Qui fecit quae futura sunt* **(Isai. XLV, 11, sec. LXX)**. Quid est ergo quod post se propheta vocem audivit commotionis magnae, nisi quod post sermonem praedicationis, qui fit ad corda peccantium, lamenta poenitentium sequuntur?

27. Perversi etenim quique dum prava agunt, et a justis recta non audiunt, nesciunt quam sint gravia quae committunt, atque ex ipsa sua ignorantia, in suo stupore securi sunt; et jacentes in culpis, quasi molliter quiescunt, sicut de quodam peccatore et securo populo dicitur: *Requievit in faecibus suis, quia securus jacuit in peccatis* **(Jerem. XLVIII, 11)**.

28. Cum vero audire perversi verbum praedicationis coeperint, quae sint supplicia aeterna cognoscere, qui terror judicii, quam subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis, illico contremiscunt, implentur gemitibus, et non se capientibus suspiriis anxiantur, atque, magno pavore concussi, in luctu et fletibus erumpunt. Prophetam ergo vox magnae commotionis sequitur; quia post verbum praedicationis, conversorum atque poenitentium luctus audiuntur. Qui enim prius quieti jacebant in vulnere, tacti postmodum manu medicinae, cum dolore redeunt ad salutem. De hac commotione poenitentium per prophetam alium dicitur: *Pedes ejus steterunt, et commota est terra* **(Zach. XIV, 4)**, quia cum veritatis vestigia in mente audientium figuntur, ipsa mens in sui consideratione turbata commovetur.

Hinc Psalmista pro peccatoribus exorat, dicens: *Qui sedes super cherubim, moveatur terra* **(Psal. XCVIII, 2)**. Hinc pro afflictis et poenitentibus deprecans, ait: *Commovisti terram, et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia mota est* **(Psal. LIX, 4)**. Terra quippe commota et turbata, est peccator de cognitione reatus sui anxius, et ad poenitentiae lamenta perductus. Peccanti etenim homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* **(Genes. III, 19)**. Exoret ergo ut sanetur contritio terrae, quia mota est, quatenus peccator qui de culpis suis affligitur, **1274** de coelestis misericordiae gaudio consoletur. Haec est itaque vox commotionis magnae, quando unusquisque sua acta dijudicans, in afflictione poenitentiae perturbatur.

29. Sed quid vox ipsa dicat audiamus: *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Locus enim maligni spiritus fuerant corda peccantium; sed cum sibimetipsis irati per poenitentiam redeunt ad vitam, gloriae Domini locus fiunt. Jam enim se contra se erigunt, jam poenitentiae lacrymis insequuntur mala quae commiserunt. Inde ergo auditur benedictio gloriae in laude Domini, unde prius sonabat Creatoris injuria de amore praesentis saeculi. Et corda poenitentium fiunt jam Domino locus suus, quae prius in peccatis posita, fuerant locus alienus. Ipsi autem qui a peccatis suis ad Dominum convertuntur, non solum delent lacrymis perversa quae fecerunt, sed etiam miris operibus ad alta proficiunt, ut sancta animalia Dei omnipotentis fiant, ut signis et virtutibus ad alta evolent, ut terram funditus deserant, et acceptis donis sese ad coelestia per desiderium suspendant. De quibus adhuc subditur:

VERS. 13.---*Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.*

30. Audit post se propheta vocem commotionis magnae, quia, sicut dictum est, verbum praedicantium luctus poenitentium sequitur. Audit post se vocem alarum animalium, quia ex ipso luctu poenitentium oriuntur virtutes sanctorum, ut tanto magis in sancta actione proficiant, quanto se ante cognitionem vitae nequiter egisse meminerunt. Sed est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per prophetam dicitur utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant, ut ala hujus alterum, et ala alterius istud animal tangat.

31. Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur, nos charitati vestrae utraque exponere largiente Domino debemus. Saepe jam alas animalium virtutes diximus esse sanctorum (*Hom. 4, n. 5; hom. 7, n. 22; hom. 8. n.* 1). Quomodo ergo unumquodque animas alas suas excutiens alteram ad alteram percutit, nisi quod aperte datur intelligi qua, si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat? Ecce etenim quis habet jam verbi Dei scientiam, discit ut viscera etiam misericordiae habeat. Per scientiam quippe verbi Dei discit: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* **(Luc. XI, 41)**. Cumque jam esse misericors in eleemosynis coeperit, verba sanctae auctoritatis legit; et quidquid in eis de misericordia dicitur, ulterius per experimentum intelligit. Ibi enim scriptum est: *Pater eram pauperum* **(Job. XXIX, 16)**. Quod fortasse antea legebat, et praeteribat. Sed cum in ejus corde jam misericordia coeperit imitari naturam, quid sit patrem esse pauperum, legit et recognoscit, quia introrsus rediens, in semetipso intelligit

quod foris audit. Aliud namque est eleemosynam ex praecepto facere, atque aliud ex charitate. Ex praecepto enim facere bonum, inchoantium est; ex charitate autem facere **1275** bonum, perfectorum, qui non solum quia jubetur faciunt, sed etiam diligunt faciendo quod jubetur. Hinc est enim quod in magna virtute per Psalmistam dicitur: *Vide quia mandata tua dilexi, Domine, in tua misericordia vivifica me* **(Psal. CXVIII, 159)**. Mandata enim Dei pro jussione facere servientis et obedientis est, diligendo autem facere obedientis et amantis est. Quia ergo et per scientiam charitatis misericordia discitur, et per charitatem misericordiae in corde compuncto scientia multiplicatur, ala in nobis alam percutit, quia virtus virtutem excitat. Sic qui castitatis bonum in suo corpore custodit contra luxuriantes zelo accenditur, ut ab immunditiae maculis expientur. Et saepe dum quosdam in lapsibus invenit, edomat, affligit, atque ad castitatis munditiam restringit. Cujus si forte mens de immunditia luxuriae fuerit tentata, ex ipso zelo quo alios correxit semetipsam convenit, et erubescit immunda cogitare, quae se in aliis recolit correxisse. In hoc ergo ala alam percutit, dum virtus virtutem pulsat, et ab immunditia custodit.

32. Sin vero, ut praefati sumus, vicissim se alis suis animalia feriunt, et altera ad alteram ala percutitur singulorum, hujus quoque descriptionis, largiente Domino, sensus patet. Quid est ergo quod haec pennata animalia vicissim alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, et sese ad provectum excitant ex consideratione virtutis alienae? Non enim uni dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat, sed huic datur quod tibi non

datur, et tibi datur quod illi denegatur, ut dum iste considerat bonum quod habes et ipse non habet, te sibi in cogitatione praeferat; et rursum dum tu habere illum conspicis quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas, et fiat quod scriptum est: *Superiores sibi invicem arbitrantes* **(Philip. II, 3)**. Ut enim pauca ex multis loquar, isti mirae abstinentiae virtus tribuitur, et tamen verbum scientiae non habet. Illi autem datur verbum scientiae; et tamen virtutem perfectae abstinentiae apprehendere conatur, et non valet. Huic libertas vocis tribuitur, ut, oppressis quibusque protectionis solatia impendens, ad defensionem justitiae libere loquatur; sed tamen adhuc multa in hoc mundo possidens, relinquere omnia vult, et non valet. Illi vero jam datum est omnia terrena relinquere, ut nihil in hoc mundo cupiat habere; sed tamen adhuc auctoritatem vocis contra peccantes quosque non praesumit exercere. Et qui ideo plus loqui libere debuit, quia jam non habet mundo teneatur, loqui contra alios libere recusat, ne ipsam vitae suae quietem perdat. Isti virtus prophetiae data est, multa jam quae ventura sunt praevidet; sed tamen praesentis proximi aegritudinem conspiciens atque compatiens, non valet curare. Illi data est curationis gratia, atque a corpore proximi molestiam quae in praesenti est orationibus repellit, sed tamen quid seipsum paulo post sequatur ignorat. Mira itaque dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, ut et isti det quod illi **1276** denegat, et alteri majus quod alteri minus tribuat, quatenus dum vel iste habere illum conspicit quod ipse non habet, vel ille hunc majus accepisse considerat quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est vicissim, omnes admirentur, atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri, et quem videt habere quod non habet, eum divino

judicio sibi praelatum putet. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt cum sanctae mentes alternis se virtutibus tangunt, et tangendo excitant, atque excitata ad provectum volant.

33. Videamus Paulum quomodo apostolorum alis tactus, atque ad poenitentiam excitatus fuerat, qui, mala praeteritae persecutionis suae et apostolorum innocentem vitam considerans, dicebat: *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* **(I Cor. XV, 9)**. Consideravit quippe apostolorum innocentiam, et propter praecedentem malitiam vilis in ejus oculis facta est omnis quam exhibebat in Ecclesia sollicitudo sua; et quam multos ex accepto intellectu praecederet non attendit, quia, illorum innocentiam pensans, persecutorem aliquando fuisse se doluit. Sed videamus si quis ex apostolis eum qui Paulo datus est intellectum miratur. Ipse nobis apostolorum primus requirendus est, qui discipulos admonens ait: *Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant* **(II Petr. III, 15)**. Miratur itaque in apostolis omnibus Paulus innocentiam, miratur apostolorum primus in Paulo sapientiam. Alis ergo se tangunt qui inde se vicissim ad provectum excitant, unde volant.

34. Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque unicuilibet regioni fructus omnes tribuere; sed si una quaelibet regio alterius regionis fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit ut huic vini, alii vero olei

abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam vero ubertate abundare faciat frugum, ut cum illa defert quod ista non habet, et ista reddit quod illa non detulit, per communionem gratiae sibi simul etiam divisae terrae conjunctae sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes sanctorum, quae dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt ut in una omnes charitate jungantur.

35. Sed inter haec sciendum est quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cogitatione praeferant, seque illis in humilitate substernant, ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni amplius quam ipsa, sed quid boni ipsa amplius quam alter habeat. Neque enim pensant quae bona spiritus alter acceperit et ipsis desint, sed quae bona ipsi, et quae mala adsint alteri. Et rum omnipotens Deus ad hoc virtutes **1277** singulis dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet, ad hoc reprobi pertrahunt bonum quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant bona quae ipsi habent et alii non habent, et nunquam perpendere student quanta bona alii habeant et ipsi non habeant. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobae in augmentum vertunt elationis; et ex diversitate munerum a bono deficiunt, unde crescere humilitatis bono debuerunt.

36. Propter hoc ergo necesse est, fratres charissimi, ut in vobis hoc semper debeatis aspicere quod minus habetis, in proximis vero hoc quod vobis amplius acceperunt, quatenus dum super vosmetipsos eos pro bono quod ipsi habent et vos non habetis aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex

humilitate crescatis. Si enim et vos in illis accepta bona perpenditis, et illi in vobis considerant dona quae habetis, vicissim vos alis tangitis, ut excitati semper ad coelestia voletis. Sequitur:

VERS. 13.---*Et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnae.*

37. In rotis sacri eloquii Testamenta signari superius diximus **(Hom. 6, n. 2 et seq.)**. Vox igitur rotarum est sermo Testamentorum. Post vocem itaque alarum animalium auditur etiam vox rotarum, quia praedicantium sermone suscepto, dum virtutes sanctorum ad altiora agenda evolant, seque vicissim ad provectum pulsant, sanctae Ecclesiae status erigitur, ut per universum mundum sacrorum Testamentorum paginae legantur. Ubique etenim jam sanctum Evangelium ubique apostolorum dicta, ubique lex et prophetae resonant. Post alarum ergo vocem vox rotarum sequitur, quia post sanctorum miracula verba sacri eloquii intra sanctam Ecclesiam libere licenter audiuntur. Quae rotae animalia sequuntur, quia, ut superius dictum est, postquam in honorem venit vita sanctorum, veneranda quoque apparuerunt hominibus eloquia Testamentorum.

38. Vel certe animalia sequuntur, quia in sanctorum Patrum vita cognoscimus quid in sacrae Scripturae volumine intelligere debeamus. Illorum quippe actio nobis aperit hoc quod in suis praedicationibus pagina Testamentorum dicit. Sed quaerendum nobis est cur postquam superius dictum est, *Audivi post me vocem commotionis magnae,* post vocem quoque alarum atque rotarum subditur: *Et*

vocem commotionis magnae. Quod si diligenter aspicitur, inveniri potest quia non otiose repetitur.

39. Duae quippe sunt commotiones magnae, quibus corda nostra commoventur. Una quippe commotio ex timore est, altera ex charitate; una fit ex luctu poenitentium, alia ex fervore amantium. Post praedicationis ergo verbum prima commotio est, cum plangimus mala quae fecimus; post vocem vero alarum et rotarum, secunda commotio est, dum magnis fletibus quaerimus coelestia bona quae audimus. Ecce enim quia intra sanctam Ecclesiam de multis Patribus virtutum exempla **1278** cognoscimus, quasi alarum sonitum quotidie audimus, quia ubique sacra eloquia personant, quasi rotarum vocibus excitamur. Et quia per eadem sacra eloquia ad amorem nostri conditoris accendimur, magni fervoris ignibus ardentes, esse nos longe adhuc ab omnipotentis Dei facie plangimus. Post primam ergo vocem commotionis magnae ad extremum quoque vox magnae commotionis fit, quia qui cognoscendo Deum coepimus peccata plangere, jam diligendo quem cognovimus non cessamus eum cum fletibus desiderare. Post rotarum itaque vocem vox magnae commotionis sequitur, quia cum Testamenta Dei in aure cordis sonare coeperint, audientium spiritus ex amore compunctus ad lamenta commovetur. Hinc est enim quod Scripturae sacrae verba fiunt in corde legentium sapida, hinc est quod ab amantibus plerumque in silentio quasi furtive et tacite leguntur. Unde per prophetam quoque alium dicitur: *Praecidisti in alienatione capita potentium, movebuntur in ea gentes, adaperient ora sua sicut pauper edens in occulto* **(Habac. III, 14)**. Omnipotens enim Deus in alienatione capita potentium praecidit, quia Judaeorum

superbiam a semetipso alienando repulit. In qua alienatione gentes motae sunt, quia dum Judaei a fide caderent, ad cognitionem fidei corda gentilium cucurrerunt. Quae videlicet gentes in sacrae lectionis pabulo os cordis aperiunt, et in occulto sicut pauper comedunt, quia cum festinatione et silentio verba vitae legentes sumunt.

40. Sed sciendum est quia quanto auditores in charitate atque intellectu proficiunt, tanto sanctis praedicatoribus major gratia spiritus datur. Unde cum prius propheta dixisset: *Assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae,* post vocem commotionis magnae alarum atque rotarum, atque iterum commotionis magnae, illico subjungit:

VERS. 14.---*Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit me.*

41. Cur qui se assumptum jam a spiritu dixerat iterum elevatum et assumptum narrat? Sed ad altiora mens praedicantium proficit cum per eos sensus audientium ad omnipotentis Dei desiderium commovetur. Qui videlicet praedicatores sancti idcirco proficiunt, ut per eorum ministerium dona gratiae in sancta Ecclesia multiplicentur, sicut de hac eadem sancta Ecclesia scriptum est: *Rivos ejus inebrians multiplica generationes ejus, in stillicidiis suis laetabitur cum exorietur* **(Psal. LXIV, 11)**. Rivi quippe Ecclesiae sancti praedicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiae multiplicantur, quia cum uberiorem gratiam spiritus praedicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quae sancta Ecclesia in suis stillicidiis laetatur. In stillicidio enim aqua de tecto in terram cadit, quae de coelo ceciderat in

tectum. Tectum vero Ecclesiae sancti praedicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in praedicatione infunditur, quasi aqua de coelo venit in tectum. Quia vero nos eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto defluit **1279** in terram. Sancta itaque Ecclesia, dum exoritur, in stillicidiis suis laetatur, quia cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quae accepit dona considerat, et in verbis praedicantium exsultat. Quia ergo auditoribus ad meliora surgentibus, eorum quoque praedicatoribus gratia multiplicatur, propheta dicit: *Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit me.* Inde enim praedicator magis ac magis elevatur et assumitur, unde auditor ad meliorem vitam mutatur.

42. Sed quaerendum nobis est, cum spiritus mentem non elevet nisi assumpserit, cur prius *elevavit* et postmodum dicitur *assumpsit?* Sed hoc loco *assumpsit* dictum est constanter tenuit. Nam sunt nonnulli quos elevat sed non assumit, quorum et intellectus ad spiritalia emicat, sed tamen vita in factis carnalibus remanens, intellectui non concordat. Balaam namque per prophetiae spiritum elevatus erat, sed assumptus non erat, quia et veraciter potuit longe post futura prospicere, et tamen a terrenis desideriis mentem noluit separare **(Num. XXIV, 4, 5)**. Sed quia propheta sanctus scientia elevatus est, et vita pariter assumptus, jam qualis in praedicationem pergat audiamus:

IBID.---*Et abii amarus in indignatione spiritus mei.*

43. Pensate, fratres charissimi, cui dona sancti Spiritus creverant cur amarus abibat? An omne cor quod idem spiritus assumit amarum in indignatione sui spiritus facit? Unde

sciendum est quia cui adhuc praesens vita dulcis est, etiamsi verbum Dei loqui videatur, elevatus et assumptus praedicator non est. Mentem enim quam Spiritus sanctus replet in amaritudinem temporalium delectatione aeternorum commovet. Dulce enim est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de coelestibus gaudia nulla gustavit, quia quanto minus aeterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. At si quis jam cordis ore gustaverit quae sit illa dulcedo coelestium praemiorum qui illi hymnidici angelorum chori, quae incomprehensibilis visio sanctae Trinitatis, huic quanto illud dulce fit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Rixatur secum de his quae male egisse se recolit, et sibimetipsi displicet, cum ei ille placere jam coeperit qui omnia creavit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, et punit flendo de factis. Supernis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat. Et quandiu illud quod desiderat adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, seseque continuis lamentis affligere. Et quia necdum se esse in patria ad quam creatus est videt, in hujus vitae exsilio nil ei plus aliud quam sua amaritudo placet. Dedignatur etenim subjacere temporalibus, et ardenter suspirat aeternis. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui apponit scientiam apponit dolorem* **(Eccle. I, 18)**. Coelestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus de his quae male egimus, nobis ipsis irascimur, et fit in multa sapientia multa indignatio, quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto **1280** nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis aeterna cognoscimus, tanto magis esse nos in hujus exsilii

miseria dolemus. Vel sicut in translatione alia dicitur: *Et qui addit scientiam addit laborem.* Quo enim scire incipimus quae sint coelestia gaudia, eo magis ut errorum nostrorum laqueos possimus evadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si aeterna jam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si aeterna jam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc quod nos potuit ab aeternitatis amore separare. Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per poenitentiam quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

44. Sic Achab **(De poen., dist. 3, c. Sicut Achab)**, rex iniquus, a propheta reprehensus, cum contra se divinam sententiam audisset, pertimuit, et magno moerore depressus est, ita ut prophetae suo Dominus diceret: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus* **(III Reg. XXI, 29)**. In quibus Domini verbis pensandum est quomodo ei in electis suis moeror amaritudinis placeat qui amittere timent Dominum, si sic ei et in reprobo poenitentia placuit qui timebat perdere praesens saeculum? Aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si haec ad tempus placuit et in illo qui displicebat? Sed sciendum quia nullus haec pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere praevalet, nisi is cujus animum Spiritus sanctus assumpserit. Nam quando homo ex sua virtute sufficiat terrena despicere, coelestia amare, pacem cum Deo quaerere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, et gemitibus punire? Nullus haec agere nisi quem divina gratia roboraverit valet. Unde et subditur:

IBID.---*Manus enim Domini erat mecum, confortans me.*

45. Ad bona quippe assurgere perfecte non possumus, nisi nos spiritus et praeveniendo elevet, et subsequendo confortet. Sed quaerendum est, cum superius de volumine quod acceperat scriptum sit: *Et factum est in ore meo sicut mel dulce,* qua ratione postmodum dicitur: *Abii amarus in indignatione spiritus mei?* Mirum quippe valde est si dulcedo simul et amaritudo conveniant. Sed juxta superiorem sensum sciendum est quia cui sermo Dei in ore cordis dulcis esse coeperit, hujus procul dubio contra semetipsum animus amarescit. Quo enim in illo subtiliter discit qualiter reprehendere se debeat, eo se durius per amaritudinem poenitentiae castigat, qui tanto sibi magis displicet, quanto in sacro volumine amplius de omnipotente Deo videt quod amet. Sed quia ad ista proficere sua virtute non valet homo, recte nunc dicitur: *Manus Domini erat mecum, confortans me.* Manus enim Domini in sacro eloquio aliquando etiam unigenitus Filius appellatur, quia *omnia per ipsum facta sunt* **(Joan. I, 3)**. Et de cujus ascensione per Moysen Pater omnipotens loquitur, dicens: *Tollam in coelum manum meam* **(Deut. XXXII, 40)**. Haec manus **1281** quae electorum suorum corda confortat, discipulis dicebat: *Sine me nihil potestis facere* **(Joan. XV, 5)**. In omne ergo quod cogitamus, in omne quod agimus, semper orandum est, ut et ipso aspirante cogitemus, et ipso adjuvante faciamus, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI. *Explanationem capitis III Ezechielis prosequitur a versu 15 ad 20, ubi de officio pastorali, de peccatis praelatorum et subditorum invicem connexis, ac de mentis obcaecatione praesertim disseritur.*

Inter caetera prophetiae miracula hoc quoque mirandum habent libri prophetarum, quod sicut in eis verbis res, ita nonnunquam verba rebus exponuntur, ut eorum non solum dicta, sed etiam res gestae prophetiae sint. Unde nunc dicitur:

EZECH. III, VERS. 15.---*Veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar.*

1. Cum causa exigeret ut indicare debuisset quia ad transmigrationem veniret, quae dicendi necessitas fuit ut per fruges locum quoque exprimeret, dicens: *Ad acervum novarum frugum,* nisi quod saepe per res et loca causae signantur? Multi quippe Ezechiele prophetante jam captivitatis anni defluxerant, atque ex his qui in captivitatem ducti fuerant plures jam in morte carnis obierant, ad quorum filios loqui propheta veniebat. Unde et ei superius dicitur: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te* **(Ezech. II, 3, seq.)**. Ex quibus quia multi fuerant credituri, atque per obedientiam ad fertilitatem boni operis perventuri, acervus frugum vocantur. Quia enim bonae animae fruges appellantur Dei, propheta alius testatur, dicens: *Sanctus Israel Domino,*

primitiae frugum ejus **(Jerem. II, 3)**. Fruges etenim Domini etiam conversae ad fidem gentes postmodum factae sunt. Sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc propheta frugum ejus primitias appellavit. Quia ergo propheta missus non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, ad acervum frugum novarum venit. Quid vero per Chobar fluvium designetur, supra jam diximus **(Hom. II, n. 6)**; quae nequaquam modo repetimus, ne repetendo fastidium generemus. Sequitur:

VERS. 15.---*Et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus moerens in medio eorum.*

2. Notandum captivo populo propheta sanctus quanta compassione se copulat, eorumque se moeroribus consedendo et moerendo conjungit, quia radix verbi virtus est operis. Et ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui a praedicante cum compassione animi profertur. Sic ferrum **1282** cum ferro jungitur, liquatur prius, ut postmodum vicissim a semetipso teneatur. Si enim prius minime mollescit, postmodum tenere se fortiter non sufficit. Sic propheta captivo populo consedit, et moerens in medio eorum exstitit, ut dum per charitatis gratiam condescendendo se ei molliorem redderet, eum statim per verbi fortitudinem teneret. Sin vero Israeliticus populus, qui domus exasperans vocatur, quia culpas nec inter flagella cognovit, nullo moerore animum depressit, propheta inter gaudentes moerens sedere studuit, ut tacendo ostenderet quod loquendo venerat docere. Et priusquam verba faceret, in hoc quod moerens tacuit formam verborum sumpsit. Sequitur:

VERS. 16.---*Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens.*

3. In eo quod septem diebus moerens sedit, et post diem septimum verba dominicae jussionis accepit ut loqui debuisset, aperte indicat quia eisdem diebus moerens tacuerat. Missus autem ad praedicandum fuerat, et tamen septem diebus sedens tacebat. Quid est hoc quod nobis propheta sanctus in hoc suo silentio innuit, nisi quia ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit? Quasi enim quoddam nutrimentum verbi, est censura silentii. Et recte per excrescentem quoque gratiam sermonem accipit, qui ordinate ante per humilitatem tacet. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Tempus tacendi, et tempus loquendi* **(Eccle. III, 7)**. Non enim ait, Tempus loquendi, et tempus tacendi, sed prius tacendi praemittit tempus, et postmodum subdit loquendi, quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. Si ergo propheta sanctus qui missus ad loquendum fuerat diu prius tacuit, ut postmodum recte loqueretur, pensandum nobis est quanta ei culpa sit non tacere, quem nulla cogit necessitas loqui. Sequitur:

VERS. 17.---*Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.*

4. Notandum quod eum quem Dominus ad praedicandum mittit speculatorem esse denuntiat. Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. **1283** Non est enim speculator qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc propheta alius speculatorem admonet, dicens: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion* **(Isai. XL, 9)**. Ut videlicet qui praedicationis locum suscepit ad altitudinem bonae ascendat

actionis; ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat; quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto et terrenis rebus quas despicit animum non supponit.

5. O quam dura mihi sunt ista quae loquor, quia memetipsum loquendo ferio, cujus neque lingua, ut dignum est, praedicationem tenet, neque inquantum tenere sufficit vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis saepe implicor, et ab exhortatione atque aedificatione proximorum torpens et negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus et verbosus, mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei de speculatoris vita compellit ut loquar. Tacere non possum, et tamen loquendo me ferire pertimesco. Dicam, dicam, ut verbi Dei gladius etiam per memetipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam, ut etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium judicem impetratio veniae ipsa cognitio culpae.

6. Et quidem in monasterio positus, valebam et ab otiosis linguam restringere, et in intentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinae pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere, saepe singulorum vitas actusque pensare; modo quaedam civium negotia sustinere, modo de irruentibus barbarorum gladiis gemere, et commisso gregi insidiantes lupos timere; modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eis ipsis quibus disciplinae regula tenetur, modo raptores quosdam

aequanimiter perpeti, modo eis sub studio servatae charitatis obviare. Cum itaque ad tot et tanta cogitanda scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat, ut totam se in praedicatione colligat, et a proferendi verbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci saepe viris saecularibus jungor, nonnunquam mihi linguae disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censurae meae rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosque ad hoc quod appeto nunquam traho. Unde fit ut eorum saepe et otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter jam ea loqui incipio, quae audire coeperam invitus; et ubi taedebat cadere, libet jacere. Quis ergo ego vel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis jaceo? Potens vero est humani generis creator et redemptor indigno mihi et vitae altitudinem, **1284** et linguae efficaciam donare, pro cujus amore in ejus eloquio nec mihi parco.

7. Esse ergo speculatoris vita et alta debet semper, et circumspecta. Ne enim terrenarum rerum amori succumbat, alta sit; ne occulti hostis jaculis feriatur, ex omni latere circumspecta. Neque hoc speculatori sufficit, ut altum vivat, nisi et loquendo assidue ad alta auditores suos pertrahat, eorumque mentes ad amorem coelestis patriae loquendo succendat. Sed tunc haec recte agit, cum lingua ejus ex vita arserit. Nam lucerna quae in semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur non accendit. Hinc enim de Joanne Veritas dicit: *Ille erat lucerna ardens et lucens* **(Joan. V, 35)**. Ardens videlicet per coeleste desiderium, lucens per verbum. Ut ergo servetur veritas praedicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi. Unde recte quoque sanctae Ecclesiae sponsi voce in

Cantico canticorum dicitur: *Nasus tuus sicut turris Libani* **(Cant. VII, 4)**. Quae ergo laus est, fratres mei, ut sponsae nasus turri comparetur? Sed quia per nasum semper odores fetoresque discernimus, quid per nasum nisi speculatorum discretio designatur? Qui nimirum nasus et sicut turris esse, et Libani dicitur, quia videlicet praepositorum discretio et munita semper debet esse circumspectione, et in altitudine vitae consistere, id est in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes qui veniunt longius videantur, sic praedicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fetores vitiorum odoresque virtutum. Incursus malignorum spirituum longe prospiciat, et commissas sibi animas per suam providentiam cautas reddat. Sequitur:

IBID.---*Et audies ex ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.*

8. Ecce iterum monetur propheta ne praesumat loqui quod non audierit, sed prius aurem cordis aperiat voci creatoris, et postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Unde propheta alius dicit: *Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam* **(Psal. XLVIII, 5)**. Qui enim recte praedicat prius, sicut dictum est, aurem cordis locutioni intimae inclinat, ut postmodum os corporis in propositione admonitionis aperiat. Sequitur:

VERS. 18.---*Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

9. In quibus verbis quid nobis notandum est, quid sollicite cogitandum, nisi quia nec subjectus ex culpa praepositi moritur, nec praepositus sine culpa est quando, verba vitae non audiens, ex sua culpa moritur subjectus? Impio etenim mors debetur, sed ei a speculatore via vitae nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur, quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non esset ad quem speculatoris sermo fieret. Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, **1285** quia ipse hunc occidit, quia eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque praepositorum, quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui praeest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo, fratres charissimi, pensate, quia et quod nos digni pastores non sumus etiam ex vestra culpa est, quibus tales praelati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro hoc reatu est, quos obsistentes atque reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet non tacemus. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat praedicator egregius qui dicebat: *Mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* **(Act. XX, 26)**. Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quae propria habemus alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus.

10. Cum vero dicitur: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram,* si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus, quia si in subjectis suis is qui praelatus ad speculandum est etiam de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animae subjectorum constringitur, quae potuisset semper vivere, si verba correptionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam, cum peccata carnis defleret, dixit; *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae* **(Psal. L, 16)**. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpae praepositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est: *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae* **(Prov. VI, 3)**. Unde hic quoque additur:

VERS. 19.---*Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia; ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

11. Tunc enim subjectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adjungeris. Et notandum quae sunt quae debeant a speculatore praedicari, nimirum fides et operatio. Nam ait: *Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia.* Impietas quippe ad infidelitatem pertinet, via vero impia ad pravam actionem. Et omnis speculator hoc habere debet studii, ut prius ad pietatem fidei, postmodum ad piam viam, id est ad bonam actionem trahat.

1286 12. Sed quia de exhortatione sermo se intulit, innotescere breviter debemus in ore pastoris quantus esse debeat ordo atque consideratio locutionis. Pensare etenim doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe est: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti* **(Genes. IV, 7, sec. LXX)**. Recte autem offerimus cum bono studio bonum opus agimus; sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. Considerare etenim debemus quid loquamur, ut juxta Pauli vocem, *Sermo noster semper in gratia sale sit conditus* **(Coloss. IV, 6)**.

13. Pensandum vero nobis est cui loquamur quia saepe increpationis verbum quod haec admittit persona, altera non admittit. Et saepe ipsa eadem persona secundum factum fit altera. Unde Nathan propheta David post adulterium forti increpationis sententia percussit. Qui cum de raptore ovis diceret: *Filius mortis est vir qui fecit hoc, ei protinus respondit,* dicens: *Tu es ille vir* **(II Reg. XII, 5)**. Cui tamen cum de Salomonis regno loqueretur **(Ibid., 7)**, quia culpa defuit, ei se humiliter in adoratione prostravit. In una ergo eademque persona quia causa dispar exstitit, etiam sermo propheticus dissimilis fuit.

14. Pensandum quoque est quando loqui debeamus, quia saepe etsi differtur increpatio, postmodum benigne recipitur. Et nonnunquam languescit, si hoc quo ante proferri debuit tempus amiserit. Nam et sapiens mulier Nabal ebrium videns **(I Reg. XXV, 36, 37)**, increpare de culpa tenaciae noluit, quem digesto vino increpationis suae verbis utiliter percussit. Et Propheta adulantium linguas non esse in

subsequenti tempore differendas annuntiat, qui ait: *Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge* **(Psal. LXIX, 4)**. Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum, ut a rigore suae rectitudinis mollescat in delectatione sermonis. Sed ne crescere debeat, statim est et sine mora ferienda.

15. Pensandum quoque nobis est qualiter loquamur. Nam saepe verba quae hunc ad salutem revocant, alium vulnerant. Unde Paulus quoque apostolus qui Titum admonet, dicens: *Argue cum omni imperio* **(Tit. II, 15)**, Timotheum exhortatur, dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* **(II Tim. IV, 2)**. Quid est quod uni imperium, et alii patientiam praecipit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse conspexit? Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi, is autem qui per spiritum fervebat per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo infervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.

16. Curandum quoque quantum loquamur, ne si ei qui multa ferre non valet verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus. Unde idem praedicator egregius Hebraeis loquitur, dicens: *Obsecro vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis* **(Hebr. XIII, 22)**. Hoc tamen **1287** infirmis praecipue congruit, ut pauca quidem, et quae praevalent capere, audiant, sed quae eorum mentem in poenitentiae dolorem compungant. Nam si eis uno in tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia multa retinere non valent, simul amittunt omnia. Unde et medici

corporum pannos quos infirmantibus stomachis ponunt, apto quidem medicamine, sed subtiliter liniunt, ne si repleti multo medicamine fuerint, infirmitatem stomachi non roborantes adjuvent, sed opprimentes gravent.

17. Sciendum tamen quia etsi quando modum suum sermo prolixior transeat, periculosum hoc auditoribus non est. Si autem qualiter quid dicatur, et quibus dicatur, non vigilanter conspicitur, valde periculosum est. Verecundae etenim mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leniter arguendae sunt, quia si asperius increpentur, franguntur potius quam erudiantur. At contra mentes asperae atque impudentes, si increpatae leniter fuerint, ad majores culpas ipsa lenitate provocantur.

18. Quod bene in eodem egregio praedicatore discimus, qui cum Corinthios cognosceret pro amore personarum in schismate divisos, eorum verecundiae consulens, locutionem suam eis a gratiarum actione et laudibus coepit, dicens: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis* **(I Cor. I, 4)**. Qui adhuc adjungit et dicit: *Ita ut nihil desit vobis in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi* **(Ibid., 7)**. Quaeso te, Paule, si jam nihil deest, cur eis scribendo fatigaris? Cur in longinquo positus loqueris? Pensemus ergo, fratres charissimi, quantum laudat. Ecce eis gratiam Dei datam asserit, factos in omnibus divites dicit in omni verbo et in omni scientia; Christi testimonium, id est quod de semeptiso moriendo et resurgendo testatus est, in eorum vita confirmatum esse perhibet, et nihil eis deesse in

ulla gratia testatur. Quis, rogo, credat quia paulo post eos corripiat, quos ita laudat? Nam post caetera subjungit: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* **(Ibid., 10)**. Quid enim potuit tam perfectis tanquam laudabilibus schisma subrepere? *Significatum enim est mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi* **(Ibid., 11 et 12)**. Ecce quos in omni verbo et in omni scientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit; et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed aegrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, et subito percussit. Prius blandam manum laudis posuit, **1288** et postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundae mentes fuerint palpando reprehensae, ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt.

19. Sed nunquid mentitus est Paulus, ut prius eis nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse? Absit hoc: quis de illo talia vel desipiens credat? Sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus excisi, coepit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum. Et in hoc quoque ad medicinam cordis a medicina corporis usum trahens. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quae circa vulnus

sana sunt palpat, ut post ad ea quae vulnerata sunt leniter palpando perveniat. Cum ergo Paulus perfectos in Corinthiis laudavit, sana membra juxta vulnus tetigit; cum vero infirmos de divisione reprehendit, vulnus in corpore percussit.

20. Videamus tamen hunc ipsum qui tanta modestia atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui a fide discesserant, exercetur. Nulla enim modestiae patientia praemissa, nulla locutionis dulcedine praerogata, eos quos a fide discessisse cognovit, ab ipso epistolae suae exordio invehendo redarguit. Nam praemissa salutatione, sic coepit: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratia Christi* **(Galat. I, 6)**. Quibus etiam in aperta increpatione post caetera subjungit: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit* **(Ibid. III, 1)**? Mentes etenim durae nisi aperta essent increpatione percussae, nullo modo malum cognoscerent quod egissent. Nam saepe hi qui impudentes sunt tantum se peccasse sentiunt, quantum de peccatis quae fecerint increpantur, ut minores culpas suas aestiment, quas minor invectio castigat, et quas vehementer objurgari viderint, majores esse deprehendant. Unde necesse est ut semper sermo praedicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aspera, aut impudentibus lenia loquatur. Quid autem mirum si hoc verbi Dei erogator faciat, cum et agricola qui semina in terram mittit prius terrae qualitatem praevidet quibus seminibus apta videatur, et postquam qualitatem praeviderit, tunc semina spargit? Sed quia de qualitate doctrinae locutionem longius traximus, oportet ut ad eum quem coepimus exponendi ordinem redeamus.

VERS. 20.---*Sed etsi conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo; ipse morietur, quia non annuntiasti ei. In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus quas fecit; sanguinem vero ejus de manu tua requiram.*

21. Quia justo qui in peccato cecidit praedicator tacuit, ejus sanguinis reus tenetur. Et qui sollicitus esse non studuit in praedicatione, factus est particeps in damnatione. Sed cum dicitur: *In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus* **1289** *quas fecit,* hoc nobis maxime considerandum est **(De poenit., dist. 4, c. Hoc nobis, et lib. IV, Sent., dist. 5)**, quia cum mala committimus, sine causa ad memoriam bona nostra transacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum praeteritorum. Sed quaeri potest utrum justo postquam ceciderit praedicandum sit, an et priusquam cadat? Invigilare praedicator debet, ne ad casum veniat, procul dubio et priusquam cadat. Nam sequitur:

VERS. 21.---*Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei; tu autem animam tuam liberasti.*

22. Si ergo praedicator ideo animam suam liberavit quia justo ne peccaret denuntiavit, cum justus ad peccatum, praedicatore tacente, cecidit, praedicator quia tacuit, reus tenetur. Sed quis nostrum, rogo, ad haec sufficiat, ut non solum peccatores studiose corripiat, sed etiam justis invigilet ne cadant? Nos enim, infirmitatis nostrae conscii, cum justos viros conspicimus, admonere eos non praesumimus ut justitiae viam teneant, quam quia tenent videmus; et tamen

praedicatoris est debitum etiam justos admonere. Unde praedicator egregius dicebat: *Sapientibus et insipientibus debitor sum* **(Rom. I, 14)**.

23. In his vero omnibus quae de justo ad iniquitatem converso dicta sunt, hoc est laboriosum ad loquendum, hoc valde pertimescendum, quod Dominus dicit: *Ponam offendiculum coram eo.* Ait enim: *Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Nos enim dicimus quia si iniquitatem fecerit, offendit, et verum est omnino quod dicimus. Cur adhuc ei Deus omnipotens offendiculum ponit, quem jam impegisse et cecidisse per iniquitatem quam perpetraverit conspicit? Sed districta sunt omnipotentis Dei judicia; et qui peccatorem diu exspectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc ubi gravius impingat.

24. Peccatum quippe quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati, aut peccatum simul et causa et poena peccati. Omne enim quod prius committitur peccatum est. Sed si citius poenitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod poenitentiae lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati, quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et poena peccati, quia, excrescente caecitate, ex retributione prioris culpae generatur, ut quasi jam quaedam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum

idemque peccatum et peccatum sit et poena peccati, simul et causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non valuit, furto diripuit, sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse jurejurando denegavit. Huic ergo **1290** concupiscentia peccatum fuit et causa peccati, quia per eam pervenit ad rapinam. Ipsum vero furtum quo rem concupitam diripuit, et peccatum ei factum est et poena peccati, quia ex retributione jam non repressae concupiscentiae factum est ut veniret ad furtum, et culpa cordis excresceret in opere ex ultione caecitatis. Sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit. Furtum ergo quod ex concupiscentia processit, et perjurium protulit, peccatum et poena peccati factum est culpae praecedenti, peccatum et causa peccati culpae subsequenti, quia de illa natum hanc genuit. Quod bene Paulus de quibusdam Deum intelligentibus, sed non honorantibus insinuavit, dicens: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* **(Rom. I, 21).** Ecce est peccatum et causa peccati. Ex qua causa quid sequatur adjungit: *Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* **(Ibid., 22, 23)**. Ecce est peccatum, et poena peccati. Sed peccatum solummodo et poena peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato et aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* **(Ibid., 24)**. Qui igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato et causa peccati ad

hoc quoque perducti sunt, ut ad cultum serpentium et volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam caecitatem usque ad immunditiam et carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum caecitas praecedenti intellectui et peccatum est, et poena peccati, subsequenti vero immunditiae peccatum facta est et causa peccati. Sed quia de his in libris Moralibus diu tractatum est **(Lib. XXV Moral., n. 23, 24)**, nobis nunc in eis diutius immorandum non est.

25. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est quomodo justus et omnipotens Deus, cum praecedentibus peccatis irascitur, permittit ut caecata mens etiam in aliis labatur. Unde Moyses ait: *Nondum completa sunt peccata Amorrhaeorum* **(Genes XV, 16)**. David quoque ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, ut non intrent in justitiam tuam* **(Psal. LXVIII, 28)**. Propheta etiam alius dicit: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem teligit* **(Osee IV, 2)**. Sanguis enim sanguinem tangit quando peccato peccatum additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus apostolus ait: *Ut impleant peccata sua semper* **(I Thess. II, 16)**. Joanni quoque per angelum dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* **(Apoc. XXII, 11)**. Unde nunc etiam Dominus dicit: *Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Ac si aperte dicat: Quia videre poenitendo noluit ubi jam impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei ut et alibi impingat. Quod tamen Domini ponere est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare; **1291** sicut de Pharaone dicitur: *Ego indurabo cor ejus* **(Exod. VII, 3)**. Non enim cor

peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad poenitentiam relaxat; sed cum ejus gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus quod ad parcendum pie disposuit districtius ad feriendum vertit, ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei* **(Rom. II, 4)**. De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die irae reprobus thesaurizat, quia dum ad poenitendum tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiae vertit in augmentum culpae. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpae augmentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum non vult ut vivat, auget unde moriatur. Sed sive justus in culpam, sive peccator in mortem corruat, speculatori timendum est ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involvat.

26. Sed interim dum loquor, avertere a memetipso oculos volo, et ecce iterum sermo divinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam videam, et mihi dici haec quae audio pertimescam. Sicut enim superius dixi **(Num. VI)**, cujus cor in curis innumeris exsparsum se ad se colligat? Quando etenim possum et ea quae circa me sunt sollicite omnia curare, et memetipsum adunato sensu conspicere? Quando possum pravorum nequitias insequendo corrigere,

bonorum actus laudando et admonendo custodire, aliis terrorem atque aliis dulcedinem demonstrare? Quando valeo et de his quae sunt necessaria fratribus cogitare, et contra hostiles gladios de urbis vigiliis sollicitudinem gerere, ne incursione subita cives pereant, providere, et inter haec omnia pro animarum custodia plene atque efficaciter verbum exhortationis impendere? Loqui etenim de Deo quietae valde et liberae mentis est. Tunc namque bene lingua dirigitur in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate, quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in ea vultus intendentis aspicitur, cum non movetur. Quam ergo exhortationem vobis speculator vester, fratres charissimi, faciat, quem tot rerum confusio perturbat? Certe is de quo loquimur propheta revelatione ultima templum videns, quae in eodem templo conspexerit inter caetera narrat, dicens: *Terra usque ad fenestras, et fenestrae clausae* **(Ezech. XLI, 16)**. Paulus quoque apostolus dicit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* **(I Cor. III, 17; II Cor. VI, 16)**. In hoc autem templo fenestrae sacerdotes et speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen sanctae praedicationis fundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestrae clausae sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus **1292** excrescit, fenestrae lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio praedicationis obmutescunt.

27. Est et aliud valde in ordine sacerdotum grave, quia non sicut hi qui vitam quietam ac remotam ducunt fixi valent in sua cogitatione permanere. Hi enim, sicut superius diximus, qui a loco regiminis longe sunt possunt peccatorum suorum maculas et fletibus lavare, et post fletus in eodem mentis moerore persistere, sicut de bona quoque muliere scriptum est,

quae ad tabernaculum oraverat, et ab intentione sua animum post compunctionis gratiam non mutabat, cum dicitur: *Vultusque ejus non sunt, amplius in diversa mutati* **(I Reg. I, 18)**. In qua nobis considerandum est quia si sic planxit mulier quae quaerebat filium, quomodo debet plangere anima quae quaerit Deum? Sacerdos vero etiam post compunctionem ac lacrymas cogitur necessaria quaeque filiorum suorum cognoscere, et ea quae refugit animus patienter audire, atque post suspiria coelestium quorumlibet carnalium hominum onera portare, et saepe cum supervenientibus cor in diversas qualitates transfundere. Nam aliquando de lucris spiritalibus gaudet, sed cum quilibet moerens supervenerit, nisi ejus moerorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget, et repente superveniunt qui de quibusdam suis prosperitatibus laetantur; quorum si laetitiae sacerdos non congaudet, minus amare creditur filios in quorum gaudio non exsultat, praecipue cum Paulus dicat: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* **(Rom. XII, 15)**.

28. Nihil ergo tam onerosum ordini sacerdotum video quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare; et tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex praedicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse praedicator videtur ingratus? Unde per hunc quoque eumdem prophetam in extrema parte dicitur: *Et cum sacerdotes intrinsecus ministrant, vestibus laneis non utantur* **(Ezech. XLIV, 17)**. De quibus subditur: *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimenta sua in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii* **(Exod. XXVIII,**

43; Ezech. XLIV, 19). Grossiora quippe vestimenta sunt lanea. Sed cum sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est quasi lineo vestimento vestiatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat reponat, atque populo aliis vestibus indutus appareat, quia si in compunctionis suae rigore se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit moerore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit. Et quid grex de necessariis faciat, si audire atque perpendere et hoc quod praesens tempus exigit, Pastor recusat? Grossiora ergo vestimenta sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suae habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensate, rogo, fratres charissimi, quantus speculatori labor sit et ad sublimia cor tendere, **1293** et hoc repente ad ima revocare, et in sublimitate cognitionis intimae extenuare animum, et propter exteriores causas proximorum, ut ita dicam, subito in cogitatione crassescere.

29. Non ergo mihi modo necesse est prophetae verba exponere, sed meam coram vobis miseriam deflere. Unde peto ut vestra me oratio talem faciat qualis et mihi valeam et vobis prodesse. **1294** Potens est indigno mihi et infirmo ex vestra intercessione ista tribuere, qui ex sua pietate pro nobis dignatus est infirmari. Virtus enim Dei est atque sapientia **(I Cor. I, 24)**, quae nostram infirmitatem sumpsit, ut ex sua nos firmitate roboraret, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII. *Quod residuum est capitis tertii decurrit, et usque ad versum 4 capitis quarti suam explanationem perducit, quam ad varia sive praecepta sive consilia moralia pro praedicatoribus et auditoribus inflectit.*

1. Servata veritate historiae, divina eloquia aliquanda ex tempore, aliquando ex loco causas designant, quas aperto sermone non indicant. Ex tempore etenim, sicut praedicante Judaeis Domino per evangelistam dicitur: *Hiems erat* **(Joan. X, 22)**. Inter illa enim mysteria quae Veritas loquebatur quid causae fuit ut nomen hiemis adderetur, nisi ut per qualitatem temporis ostenderet frigus cordis? Quia et cum verba veritatis acciperent, frigida Judaeorum corda remanebant. Aliquando vero ex loco, sicut carnali Israelitico populo, descendente de monte Moyse, lex in campestribus data est **(Exod. XX, seq.)**; et sanctis apostolis Dominus in monte sedens summa et spiritalia praecepta locutus est **(Matth. V, 1)**, ut ex locis videlicet monstraretur quia et illis tanquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum, et isti tanquam spiritales et sancti in monte mandata coelestia audirent, quatenus aperte monstraretur quod ascendentes corde ad coelestia infima mundi relinquerent, et in mentis culmine starent. Unde nunc Ezechiel propheta quid jubente Deo in locis egerit describit, ut per locorum qualitates indicet quid in posterum de prophetiae mysteriis sequeretur. Ecce enim ait:

VERS. 22.---*Facta est super me manus Domini, et dixit ad me: Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum.*

2. Quid est hoc, quod prius Dominus in medio Israelitarum locutus ad prophetam suum fuerat, et tamen postmodum dicit: *Egredere in campum, et ibi loquar tecum,* nisi quod prophetiae suae gratiam et prius Judaeae infundere, et hanc postmodum dignatus est in latitudinem gentium demonstrare? Neque enim immerito per campum gentilitas designatur, quae longe lateque, id est in universo mundo distenditur. Ubi et subditur:

VERS. 23.---*Et surgens egressus sum in campum, et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxta flumen Chobar.*

3. In campo gloriam Domini propheta vidit, quam juxta flumen Chobar in medio Israelitarum viderat, quia ipsa ejus majestas gentibus apparuit, quae prius se electis in Judaico populo, revelante Spiritu, declaravit. Sequitur:

IBID.---*Et cecidi in faciem meam.*

4. Visa gloria Domini in faciem suam propheta cadit, quia quamvis homo ad intelligenda sublimia elevetur, ex contemplatione tamen majestatis Dei infirmitatem suae conditionis intelligit; et quasi statum non habet, qui se ante Dei oculos esse cinerem et pulverem videt. Sequitur:

VERS. 24.---*Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos.*

5. Cum nos humiliter Deo sternimus, cum esse nos pulverem cineremque cognoscimus, cum infirmitatem conditionis propriae pensantes, statum rigiditatis et superbiae non habemus, omnipotens Deus per suum nos spiritum levat, et super pedes nostros statuit, ut qui humiliter apud nos ex infirmitatis nostrae cogitatione jacuimus et jacemus, in bono post opere quasi super pedes ex rectitudine stemus. Quod cur in campo de propheta agitur, nisi ut specialiter designetur quia etiam electis gentium Spiritus sanctus dandus esset, qui eos quos assumeret, et prius a superbiae suae statu dejiceret, et postmodum super pedes suos, id est super bona opera solidaret? Sicut per Paulum dicitur: *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris* **(Hebr. XII, 12)**. Sequitur:

IBID.---*Et locutus est mihi et dixit ad me: Ingredere et includere in medio domus tuae.*

6. Quid est, quod de medio Israelitici populi propheta ad campum educitur, atque ad domum postea de campo revocatur, nisi quod praedicationis gratia a Judaico populo ablata, in latitudine gentilitatis sparsa est? Sed tamen in fine mundi dum Judaei ad fidem redeunt, quasi ad domum propheta reducitur, ut in suo populo rursus praedicatio inhabitet, quae modo velut in campo ita diversis gentibus fulget. Scriptum quippe est: *Donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret* **(Rom. XI, 25)**. Quia et per prophetam alterum dicitur: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae salvae fient* **(Isai. X, 22; Rom. IX, 27)**. Exeat ergo propheta de medio populi ad campum, de campo redeat ad domum, ut praedicatio quae Judaeae **1295** facta est, egrediatur ad gentes, et repletis fide,

gentibus, recipiat Judaea spiritalis doctrinae dona, quae amisit. Includi autem propheta in medio domus suae praecipitur, quia Antichristi tempore ab eis gentibus quae in infidelitate remanserint plebs conversa Judaeorum duris persecutionibus angustatur. Unde scriptum est: *Atrium autem quod est extra templum ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus* **(Apoc. XI, 2)**.

VERS. 25, 26.---*Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum; et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.*

7. Quae videlicet verba si per typicae expositionis ordinem sequimur, propheta in domo sua vincula suscipit et ligatur, quia in extremis, cum Judaea crediderit, gravissimas Antichristi tempore persecutiones sentit, ita ut praedicationes ejus ministri iniquitatis non recipiant, sed resistendo has vinculis dolorum premant. Et in medio eorum non egreditur, quia ad corda pravorum praedicatio non pervenit, dum lingua bonorum ligata tribulationibus tacet. Erunt etenim tunc multi ex Judaeis infidelibus qui eosdem ipsos qui ex Judaeis crediderint persequentur. Unde notandum est quod hic quoque dicitur, quia in domo sua vincula propheta sustineat: ut videlicet designetur quoniam et ex ipso suo genere Judaea cum fidelis fuerit tribulationem persecutionis portet. Dum enim Unigenitus summi Patris incarnatus ac mortuus resurrexisse atque ad coelos ascendisse non creditur, sicut per sacrae Scripturae paginas praedicatur, nimirum apud Judaeos prophetia ligata erit. Quae si ita ut dicta est in eorum

intellectum decurreret, quasi gressus liberos suae praedicationis habuisset.

8. Reprobis ergo tunc praedicatorum scientia tacere compellitur. Unde et hic subditur: *Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.* Sed quia, Enoch et Elia praedicante, multi ex his qui tunc ex Judaeis in infidelitate remanserint ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Elia dicitur: *Elias veniet, et ipse restituet omnia* **(Matth. XVII, 11; Marc. IX, 12; Malach. IV, 5)**, qui utrique per Zachariam duae olivae **(Zach. IV, 3)**, et per Joannem duo candelabra nominantur **(Apoc. XI, 4)**, recte hic quoque subjungitur:

VERS. 27.---*Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.*

9. Tunc enim velut in extremo os prophetae aperitur, cum in praedicatione Enoch et Eliae a Judaeis ad fidem redeuntibus prophetia sacri eloquii de Christo fuisse cognoscitur. Sed quia haec typice diximus, nunc verba eadem charitati vestrae moraliter disseramus.

10. Quid enim est, quod exire propheta ad campum jubetur, nisi quod unusquisque qui praedicat propter eos quos extra se positos corrigit, atque ab iniquitate compescit, loquendo ad campum exit? Ibique gloriam Domini videt, quia tanto largius doctrinae gratiam percipit, quanto se in labore praedicationis ex amore proximorum tendit. Foras ergo exeundo in altam visionem ducitur, quia unde in alienis cordibus ignorantiae caecitatem **1296** ministerio suae locutionis illuminat, inde

eum superna gratia in altiorem intelligentiam exaltat. Sed quia semper praedicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque munditiam intrinsecus custodire, post campum necesse est ut ad domum redeat, quatenus in his quae dicit qualis etiam ipse sit intra conscientiam agnoscat. Si enim aut hoc quod loquitur minime custodit, aut de his quae loquitur temporalem gloriam requirit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogitando semetipsum ad domum redire contemnit. Accepto etenim spiritu, in medio domus includimur, quando per ejus gratiam ad discutienda mentis nostrae secreta revocamur, ut apud seipsum in Deo animus quiescat, et non jam per exteriores concupiscentias in appetitum laudis et gloriae cogitationis mobilitate discurrat.

11. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam Veritas dicit: *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* **(Joan. V, 8; Marc. II, 9)**. Per grabatum quippe in quo carnis est requies, ipsa caro signatur, per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto; cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus carnis vitiis resistamus, necesse est ut et tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Aegro itaque ad salutem reducto praecipitur: *Tolle grabatum tuum,* id est porta lectum in quo portatus es, quia necesse est ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat aegrotus. Quid est ergo dicere: *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam,* nisi, porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quae fecisti? Propheta itaque post campum in domo includi praecipitur, ut praedicator semper, post gratiam doctrinae

quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seque ipsum subtili examinatione discutiat, ne de his quae foris praedicat aliquid ipse apud se intrinsecus transitoriae laudis quaerat.

12. Unde et per Salomonem dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide* **(Prov. V, 15)**; *habeto eas solus, nec sint alieni participes tui* **(Ibid., 16)**. Valde autem contraria esse videntur quae dicit: *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide,* cum protinus adjungit: *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Quomodo enim aquam scientiae solus habere poterit, si hanc in plateis dividit? Quomodo alieni aquae ejus participes non sunt, si fontes illius foras derivantur? Sed cum praedicamus populis, nimirum in plateis aquas dividimus, quia in auditotorum multitudinem scientiae verba dilatamus. Cum vero nos, adjuvante divina gratia, intrinsecus custodimus, et ne maligni spiritus qui jure a nobis alieni sunt quia sortem beatitudinis perdiderunt, nobis in elatione subripiant, sollicitudine cauta circumspicimus, soli habemus aquas quas in plateis dividimus, ut nobis in eis alieni participes non sint. Hi nimirum, de quibus scriptum est: *Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam* **(Psal. LIII, 5)**. Aquas ergo et in plateis dividit, et solus habet, qui per hoc quod multis praedicat, se in cogitatione temporalis gloriae non exaltat. Tunc enim possidet homo quod docet, **1297** quando se non gaudet innotescere, sed prodesse. Ex campo ergo propheta ad domum reducitur, ut is qui ex Deo loquitur, postquam pro utilitate proximorum loquendo foras exierit, ex humilitate semper ad discutienda cordis sui secreta revocetur. Unde et subditur:

VERS. 25.---*Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum.*

13. Cum enim praedicator quisque ad conscientiam domus suae reducitur, super eo vincula dantur, et ligatur in eis, quia quanto plus se in cogitatione discusserit, tanto amplius agnoscit justi anima quantis mortalitatis suae infirmitatibus sit ligata. Nisi enim se ligatum conspiceret Paulus, minime dixisset: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* **(Philip. I, 23)**. Hinc per Psalmistam dicitur: *Ut audiret gemitum vinculatorum, et solvat filios interemptorum* **(Psal. CI, 21)**. Et rursus: *Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum* **(Psal. LXXVIII, 11)**. Saepe autem cum jam anima ad Redemptoris sui speciem contemplandam exire desiderat, cum coelestibus gaudiis interesse suspirat, ipsa mortalitatis suae vincula conspicit et gemit, quibus adhuc in praesenti mundo ligata retinetur. Hinc est enim quod subtile omnipotentis Dei judicium intuens Jeremias, ait: *Circumaedificavit adversum me ut non egrediar, aggravavit compedem meam* **(Thren. III, 7)**. Habemus enim compedes, ipsam infirmitatem atque corruptionem mortalitatis nostrae; sed cum tribulatio nobis et gemitus additur, ipsae nostrae compedes aggravantur. Et quidem quandiu in hac vita justus moras patitur, loquendo bona, prodesse aliis festinat; sed cum duras mentes conspicit, easque considerat contentionibus occupari, praedicationis verbum retinet. Et in medio eorum non egreditur, quia a bonis quae loqui poterat obmutescit, sicut per Paulum dicitur. *Nihil per contentionem* **(Philip. II, 3)**. Et rursus: *Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus* **(I Cor. XI, 16)**. Unde hic quoque apte subjungitur:

VERS. 26.---*Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.*

14. Aliquando vero etiam contra resistentium linguas praedicantium corda zelo sui Dominus accendit ne taceant, sed dicta fallacium verbis veritatis premant. Unde hic subditur:

VERS. 27.---*Cum autem locutus fuero tibi, aperies os tuum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.*

15. Sed haec quae breviter sub duplici intellectu discussimus placet ut juxta considerationem litterae leviter tangendo transeamus. Quid enim nobis amplius per ipsa verba historiae quam virtus obedientiae commendatur? Cum modo ad transmigrationem juxta fluvium Chobar pergere, modo ad campum egredi, modo ex campo ad domum redire propheta praecipitur? Ut prius ex jussione pergens, et paulo post exiens, atque iterum domum rediens, et semetipsum recludens, semper suae voluntatis arbitrium ad divini eloquii praeceptum frangat, quatenus, in coelesti jussione suspensus, non suam, sed conditoris sui voluntatem impleat? Cui dicitur: *Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et* **1298** *non egredieris in medio eorum.* Qua in re notandum est quod adversa propheta praenoscit, ut contra omnia paretur. Minus enim mala contra mentem praevalent, quae inopinata non veniunt; et tamen dum contraria praenoscuntur, quanta sit in eo obedientiae virtus ostenditur, qui et cognoscit quod adversa passurus est, et tamen voci dominicae inobediens non est. Magna autem consideratione indigent verba quae protinus adduntur: *Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo,*

et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Discernendum quippe nobis est utrum pro solis malis auditoribus, an aliquando etiam pro vitio praedicantis praedicationis sermo subtrahatur.

16. Quatuor enim qualitatibus res haec considerata distinguitur. Nam aliquando propter malos auditores bonis tollitur sermo doctoribus. Aliquando vero propter bonos auditores datur sermo doctoribus etiam malis. Aliquando autem propter docentium atque audientium justificationem bonis sermo doctoribus datur, ut et ipsi per meritum crescant, et auditores eorum in intellectu et vita proficiant. Aliquando vero quia nec hi digni sunt accipere quibus doctrinae sermo profertur, neque illi doctrinae verbum proferre qui locum docendi tenent, praedicationis sermo tollitur, ut utraque pars districte judicetur. Propter malos namque auditores bonis sermo doctoribus tollitur, sicut nunc ad Ezechielem dicitur: *Linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.* Et sicut Paulo dicitur: *Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me* **(Act. XXII, 18)**. Et sicut volentibus apostolis praedicare in Asia, scriptum est quia *prohibuit eos spiritus Jesu* **(Act. XVI, 6)**. Propter bonos auditores etiam malis doctoribus sermo datur, sicut de Pharisaeis Dominus dicit: *Omnia quaecunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt* **(Matth. XXIII, 3)**. Propter docentium quoque meritum et audientium justificationem sermo doctrinae tribuitur, sicut sanctis apostolis dicitur: *Euntes docete omnes gentes* **(Ibid., XXVIII, 19)**. Propter malos vero auditores et

indignam vitam eorum qui docere debuerant, sermo doctrinae subtrahitur, sicut Heli ad corrigendos filios districtae increpationis verbum non habuit **(I Reg. II, 29; III, 13)** quia et ejus negligentia, et filiorum exigebat vita, ut cum eis et populus caderet, et arca Domini capta ad Allophylos transiret **(Ibid., IV, 11, seq.)** Magna enim omnipotentis Dei est gratia cum inique agentibus durus a doctoribus sermo increpationis profertur. Quo contra nunc dicitur: *Et eris mutus, nec quasi vir objurgans.* Delinquentes etenim objurgasset, si digni ipsa objurgationis gratia fuissent.

17. Sed cum in doctrina atque in silentio sit meritorum tanta diversitas, ut sciri facile non possit, utrum ex auditoris an ex ejus vitio qui doctrinae locum videtur tenere docendi sermo subtrahatur, quid aliud nobis quam servari semper in rebus dubiis humilitas jubetur? Ut et quando loqui possumus non extollamur, ne fortasse haec ipsa locutionis nostrae gratia non nobis, sed auditoribus nostris **1299** collata sit; et rursus quando loqui non possumus, hi qui nobis commissi sunt minime nos dijudicent, ne fortasse non ex nostro, sed ex peccato audientium loqui minime possimus. Ad hoc ergo nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus humilitatem, quatenus et nos cum loquimur, ex omnipotentis Dei dono hoc esse, vestrum meritum putemus. Et quando a locutione doctrinae obmutescimus, quamvis nostra culpa sit, vos tamen hanc esse vestram specialiter credatis, ut cum vicissim mala nobis tribuimus, et bona aliis, per ipsam humilitatis gratiam fiat ut doctrinae sermo, qui ablatus fuerat, redeat. Sequitur:

VERS. 27.---*Cum autem locutus fuero tibi, aperies os tuum, et loqueris ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat, quia domus exasperans est.*

18. Saepe quidam verbum Dei audire desiderant, sed dum alios conspiciunt aurem avertere, etiam ipsi a salutis auditu deviant; et plerumque multi quiescere appetunt, atque a cunctis mundi hujus actibus vacare, nullis jam desideriis terrenis succumbere, sed dum vident alios inquiete agendo proficere, atque in hoc mundo divitiis et honoribus extolli, quia necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo delabuntur. Hinc est enim quod in typo infirmantium Psalmista loquens, dicebat: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* **(Psal. LXXII, 2, 3)**, *quia zelatus sum in peccatoribus, pacem peccatorum videns*. Hinc iterum dicit: *Dum superbit impius, incenditur pauper* **(Psal. X, 2)**, Hinc ad Jeremiam prophetam voce dominica de Juda et Israel dicitur: *Nunquid vidisti quae fecerit aversatrix Israel? Abiit sibimetipsa super omnem montem excelsum, et sub omne lignum frondosum, et fornicata est ibi. Et dixi cum fecisset haec omnia: Ad me convertere, et non est reversa* **(Jerem. III, 6, 7)**. Ubi statim subditur qualiter ex aemulatione ejus etiam Juda cecidit, quae stare videbatur. Ait enim: *Et vidit praevaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod maechata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii; et non timuit praevaricatrix Juda soror ejus, sed abiit et fornicata est etiam ipsa* **(Ibid., et 8)**. Ecce misericors Deus contemnitur et vocat, aversantibus se signum misericordiae aperit, quia peccanti dicit: *Ad me convertere, et tamen non est conversa* **(Ibid., 7)**. Sed quia omnipotentem Deum plebs

Israelitica deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit. Deseruit videlicet peccando, sed libellum repudii accepit in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima enim quae peccat, recedit. Sed si eam post peccatum prosperitas sequitur, nulla disciplina, nulla districtionis increpatio revocat ad cor; in divisione quam inter se et Dominum fecit, etiam libellum repudii accepit, ut jam, velut aliena derelicta, faciat mala quae vult, zeli Dei flagella non sentiat, quatenus ad aeterna **1300** supplicia profundius descendat. Sed soror ejus Juda, quoniam dimissam Israeliticam plebem in suis voluptatibus vidit, ipsa quoque in immunditiam fornicationis exarsit. Quia enim aspexit adulteram in sua perversitate florere, etiam ipsa non timuit deterius peccare, atque a conjunctione Domini, quasi a viri legitimi cubili, recedere. Unde necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos* **(Prov. I, 32)**. Qui enim a Deo avertitur et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinae invenitur alienus. Dicatur ergo: *Qui audit audiat, et qui quiescit quiescat, quia domus exasperans est.* Ac si aperte diceretur: Vos, qui jam et verba veritatis audire, et a prava coepistis actione quiescere, nolite illos imitari quorum me exasperari moribus videtis.

19. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Quidam enim verbum audientes non audiunt, quoniam aurem ad sacrum eloquium ponunt, sed cor a mundi desideriis non evellunt. Et sunt nonnulli qui quiescentes minime quiescunt, quia a pravis quidem actibus otiosi sunt corpore, sed perversitates

operum ex dilectione versant in mente. Hinc est enim quod de Judaea ad captivitatem perveniente scriptum est: *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* **(Thren. I, 7)**. Hostes quippe Sabbata derident, quando maligni spiritus otiosae menti pravas cogitationes injiciunt, ut et si quiescit ab opere, non quiescat a malorum operum delectatione. Recte ergo nunc dicitur: *Qui audit audiat,* quatenus sic fiat sermo in aure corporis, ut sonet in aure cordis. *Et qui quiescit quiescat,* ut pravitatis desideria repellantur a cogitatione, cum jam repulsa videntur ab opere. Ubi ne malorum, sicut diximus, exempla sequamur, adjungitur: *Quia domus exasperans est.* Mali autem etsi diu tolerantur, subito corruunt, et eorum poenas infirmi conspiciunt, ne quorum culpas impunitas existimant imitentur. Unde hic quoque ejusdem Judaeae desolatio subjungitur, quae domus exasperans vocatur, cum protinus prophetae suo Dominus dicit:

EZECH. IV, 1, 2, 3.---*Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam. Signum est domus Israel.*

20. In quibus videlicet verbis quid aliud juxta historiam nisi Jerosolymae urbis obsessio atque destructio designatur, et peccatoris populi afflictio exprimitur? Qui domus exasperans vocatur, cum aperte dicitur: *Ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem,* **1301** *et dabis contra eam castra, et pones arietes in*

gyro. Sed quia verba prophetiae sic plerumque narrant historica, ut per haec etiam mystica describantur, oportet ut haec eadem dicta quae protulimus spiritaliter disseramus, maxime quia in eis interponitur quod teneri posse ad litteram non videtur, cum dicitur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem.* Nisi enim rebus historicis mystica miscerentur, quid sartago ferrea necessaria prophetae fuit, ut hanc inter se et civitatem poneret, quatenus se ab ejus obsidione separaret? Cum enim dicitur: *Sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem,* aperte declaratur quia per eamdem sartaginem ferream ab obsidione civitatis propheta se liberum reddat. Unde et quod praedixit subjungitur: *Et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem.* Ex qua re ostenditur quia propheta in eadem obsidione non erit, si sartaginem ferream inter se et civitatem murum ferreum ponit. Et certe sive in ea captivitate quae prius, sive in ea quae postmodum Israelitico populo contigit, nullus ab ejusdem captivitatis periculo liber fuit, sed omnes simul par calamitas involvit. Quid ergo intelligi juxta litteram potest, ut propheta inter se et civitatem quae obsidenda est sartaginem ferream ponat? Sed quamvis omne hoc quod in descriptione lateris sub signo Jerosolymorum civitatis legitur juxta litteram factum sit, nobis tamen sciendum est quia typicum aliquid per sartaginem figuratur, et obsessio Jerosolymorum vera describitur.

21. Ex quare instruimur, ut dum aliud completum juxta historiam scimus, et aliud juxta historiam a ratione vacare cognoscimus, in sacro verbo utraque teneamus, quatenus et

obsessionem Jerosolymorum, quae juxta litteram postmodum facta est, in prophetae verbis et factis credamus esse figuratam, et tamen per eamdem obsidionem obsidio alia, id est interior, designetur. In qua jure quaerimus quid per sartaginem ferream, quae murus ferreus dicitur, valeat designari. Illam itaque obsidionem qua Jerosolymorum civitas destructa est, jam factam novimus; sed nunc aliam intrinsecus, quae quotidie agitur, requiramus. De qua per significationem dicitur: *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.*

22. Sed ante nobis inquirendum est cur Ezechiel propheta vel quoties sublimia conspicit, vel quoties agere aliqua mystica jubetur, prius filius hominis appellatur? Saepe enim sublevatur ad coelestia, et occultis ac invisibilibus rebus ejus mens pascitur. Necesse ergo est ut inter occulta quae penetrat, filius hominis vocetur, ut semper agnoscat quod est, et nunquam extollatur de his ad quae ducitur. Quid est enim prophetae ad spiritalia sublevato semper *fili hominis* dicere, nisi eum infirmitatis propriae memorem facere? Ut conscius conditionis infirmae, elevari in cogitatione non debeat de magnitudine contemplationis suae.

1302 23. Quia vero idem propheta, ut supra jam diximus, typum praedicantium vel doctorum tenet, recte ei nunc dicitur: *Sume tibi laterem, et pones eum coram te.* Omnis enim doctor cum terrenum quempiam auditorem ad coelestis verbi doctrinam suscipit, laterem assumit. Cui dum loqui coeperit quae sit retributio coelestis patriae, quae visio pacis supernae, civitatem Jerusalem describit in latere. Quem coram se ponit, quia intenta mente qualitatem audientis considerat,

id est provectum vel defectum conspicit, et juxta ejusdem intelligentiam praedicationis suae verba moderatur, ut describi in audientis mente civitas Jerusalem, id est visio pacis, possit. Dicatur ergo: *Sume tibi laterem,* videlicet proximi cor terrenum. *Et pones eum coram te,* scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias. *Et describes in eo civitatem Jerusalem,* ut ei quae sint superna gaudia de visione pacis innotescas. Quasi enim jam Jerusalem in latere descripta est, cum terrena mens coeperit quae sint illa internae pacis gaudia vera cognoscere, et ad conspiciendam gloriam patriae coelestis anhelare. Quasi in terra visio pacis describitur, quando mens, quae prius terrena sapuerat, per amorem jam ad contemplandam gloriam regni coelestis elevatur.

24. Sed mox ut animus amare coelestia coeperit, mox ut ad visionem pacis intimae tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius qui de coelo lapsus est invidet, et insidiari amplius incipit, et acriores quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat quando possidebat. Unde scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* **(Eccli. II, 1)**. Unde et daemoniacus qui a Domino sanatur, ab exeunte daemone discerpitur, sicut scriptum est: *Et clamans et multum discerpens eum, exiit ab eo* **(Marc. IX, 25)**. Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat? Unde et Israelitae quoque ad Moysen et Aaron dicunt: *Videat*

Dominus, et judicet, quoniam fetore fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et praebuistis ei gladium, ut occideret nos **(Exod. V, 21)**. In Moyse enim et Aaron lex et prophetae figuratae sunt. Et saepe apud se infirmus animus quasi contra sacra eloquia murmurat, quia postquam verba coelestia audire et sequi coeperit, regis Aegyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio, excrescit.

25. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animae quae illam tentationes sequantur innotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias praeparare. Unde bene nunc, post descriptam civitatem Jerusalem in latere, dicitur prophetae: *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem.* In qua enim jam pacis visio describitur, ei necesse est ut tentationum bella nuntientur. Nam ut valeat ad illa pacis gaudia aeterna pertingere, hanc hic procul dubio **1303** oportet tribulationum certamina multa sustinere. De qua bene dicitur: *Ordinabis adversus eam obsidionem.* Praedicator quippe contra erudiendam animam obsidionem ordinat cum praemuniendo indicat quibus se modis vitia virtutibus opponant, quomodo luxuria castitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta laetitia vigorem mentis resolvat, qualiter multiloquium munitionem cordis destruat, quomodo invidia charitatem interficiat, quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia cum veritatem in sermone corruperit, hanc etiam in cognitione corrumpat, ut qui verum dicere noluit quod intellexit jam nec intelligat, quod dicere valeat. Ordinatur ergo a praedicatore obsidio cum per sanctae admonitionis verba singulis quibusque virtutibus quae vel quibus modis vitia insidientur ostenditur. Et contra

Jerusalem, quam describit in latere, praedicator munitiones aedificat quando mala quaeque quam munita contra mentem veniant demonstrat, ut sese vitia sub virtutum specie abscondant; quatenus, sicut saepe jam diximus, immoderata ira justitia videri appetat, et disciplinae remissio mansuetudo videri velit, et tenacia sese parcimoniam nominet, et inordinata rerum effusio se benevolentiam appellet. Quasi enim aedificatae contra mentem munitiones sunt, quando vitia sub virtutum specie excrescunt, et in alto se ostendunt per imaginem, quae in imo jacent semper per actionem.

26. Adhuc quoque additur: *Et comportabis aggerem.* Quo enim mens desiderare coelestia coeperit, eo in illam maligni spiritus tentationibus suis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta ergo aggerem comportat cum praedicator sanctus bonis mentibus qualiter terrena desideria subrepere solent denuntiat. Atque adhuc additur: *Et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Quasi dat contra animam doctor castra, quando malignorum spirituum contra eam collectas atque adunatas insidias indicat, ut aliquando non solummodo ex uno, sed ex conjunctis vitiis simul tentent.

27. Nam sunt quaedam vitia quasi per quamdam sibi cognationem propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulae, et immunditia luxuriae, sicut multiloquium, fallacia, atque perjurium. Ex dissolutione quippe spiritus mens ad ingluviem ventris rapitur, et dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur superbiendo captiva. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur, quia valde difficile est ut qui multa loquitur non etiam mentiatur; et saepe mendacium etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur.

Superbia quoque esse sine invidia atque inani gloria nullatenus potest. Superbus etenim quisque honorem quem ipse ambit aliis invidet. Et cum hunc fortasse obtinuerit, in elationem gloriae temporalis attollitur, atque quod alios conspicit minime percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet prae caeteris habere.

28. Sciendum quoque est quia saepe nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt, sed supponuntur, **1304** ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem venit, aliud vero in tentationem se ex latere subjicit, quatenus dum alteri resistitur, ab altero mens decepta capiatur. Ipsa enim quae superius diximus vitia plerumque se alia pro aliis furtive supponunt, sicut nonnunquam dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plus quam necesse est lenitas mentem occupat, ut asperitatem peccantibus quam oportet minime proponat. Saepe vero dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in furorem trahit, atque extra patientiae limitem animum captivum rapit. Quia ergo permista simul vitia atque adunata contra mentem veniunt, recte in praedicatoris ore contra descriptam Jerusalem castra proponuntur. Et quia aliquando singula hinc inde sensum feriunt, in gyro arietes ordinantur. Ponit ergo praedicator arietes in gyro, dum caute denuntiat quam blande luxuria percutit, quam aspere impatientia occidit, quam laboriose avaritia accendit et interimit, quam tumide superbia exstinguit. In gyro itaque arietes ponere est praedicando ostendere qui undique soleant animam mucrones vitiorum ferire.

29. Sequitur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem.* Quia ferrum forte metallum est, et in sartagine cibus frigitur, quid per

sartaginem ferream, nisi spiritalis zeli fortis frixura signatur? Omnis quippe spiritalis zelus doctoris animam frigit, quia valde cruciatur dum infirmos quosque aeterna deserere et rebus temporalibus delectari conspicit. Quam bene Paulus sartaginem ferream sumpserat, cum zelo animarum cruciatus dicebat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* **(II Cor. XI, 20)**? Ipsum suum cor quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim et coquebat, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta praeparabat ex sua afflicta cogitatione.

30. Sed quid est quod eamdem sartaginem propheta inter se et civitatem murum ferreum ponit, nisi quod idem fortis zelus qui nunc in mente doctoris agitur in die extremi judicii inter eum et animam quam a vitiis zelat testis est? ut etsi audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet de auditoris negligentia reus non sit. Murum ergo ferreum inter se et civitatem ponit, quia ultionis tempore inde doctor a damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum custodiae cordis frixuram patitur. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Hinc enim Psalmista ait: *Zelus domus tuae comedit me* **(Psal. LXVIII, 10)**. Quantum vero frixura cordis quae spiritali zelo agitur omnipotentem Dominum Deum placat, aperte ostenditur cum offerri per legem simila in sacrificium jubetur. De qua scriptum est: *In sartagine oleo conspersa frigetur, offeretque eam calidam in odorem sua vissimum Domino sacerdos qui patri jure successerit, et tota cremabitur in altari* **(Levit. VI, 21, 22)**. Tunc enim simila in sartagine frigitur, cum munda

mens justi per zeli sancti ardorem **305** crematur. Quae conspergi oleo praecipitur, id est claritatis misericordiae misceri, quae in conspectu omnipotentis Domini ardet et lucet. Conspergatur ergo oleo mens quae in sartagine frigitur, quia sancti zeli districtio necesse est ut ex misericordiae virtute et ardeat et clarescat. Amat enim eumdem ipsum quem insequi videtur. Unde et calida in odorem suavissimum Domino offerri praecipitur, quia si amorem zelus non habet, ea quae de sartagine offertur calorem simila amisit. Et notandum quis eam offerre praecipitur, videlicet sacerdos qui patri jure successerit. Ille enim sacerdos patri jure succedit, qui esse se omnipotentis Domini filium demonstrat moribus, atque a nobilitate intima operum suorum ignobilitate non discrepat. Quae in altari tota cremari praecipitur, ut videlicet holocaustum fiat. Holocaustum enim totum incensum dicimus. Unde et in translatione altera hoc in loco haec eadem simila quae in sartagine frigitur holocaustum fieri jubetur. Hoc autem inter holocaustum et sacrificium distat, quia omne quidem holocaustum sacrificium est, non autem omne sacrificium holocaustum. Sunt enim multa bona quae aguntur sacrificia, sed holocausta non sunt, quia totam mentem in amorem spiritalem minime incendunt. Qui enim sic operantur ea quae Dei sunt, ut tamen et quaedam quae sunt saeculi non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quae mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt. Simila itaque in sartagine est munda mens justi in zeli spiritalis afflictione; quae per sollicitudinem animarum frigitur, et non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur. Sumamus ergo sartaginem ferream,

et ponamus eam murum ferreum inter nos et civitatem, id est assumamus zelum fortem, ut inter nos et auditoris nostri animam inveniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inventuri sumus, si nunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando vero etiam severius agendo. De qua severitate recte **1306** subditur: *Et ob firmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem.*

31. Quid est obfirmare faciem ad Jerusalem in latere descriptam, nisi ut ei animae cui coelestis pacis visionem doctor denuntiat, si adhuc eam infirmari in suis actibus conspicit, remissiorem et clementiorem se minime ostendat? Unde scriptum est: *Filiae tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas* **(Eccli. VII, 26)**. Infirmae quippe animae atque ad appetitum mundi deditae, aliquando melius ex severitate servantur, ut obfirmata facies, id est per severitatis custodiam ab omni spe frivolae remissionis abducta, inconstantem animam terreat, atque a delectatione vitiorum districtionis vigore constringat. Quod cum a doctore agitur, semper necesse est ut dulcedo et humilitas in corde teneatur, quatenus et multum amet, et nunquam contra eum per elationem superbiat, cui tamen amorem suum et humilitatem pro utilitate ejus prodere recusat.

32. Sequitur: *Et circumdabis eam.* Circumdat doctor auditoris animam, cum in omne quod in hac vita agitur tentationum laqueos apponi posse denuntiat, ut dum ubique fit mens pavida, ubique circumspecta, quanto timidior, tanto vigilantior vivat.

33. Sequitur: *Signum est domus Israel.* Si ad historiam obsidionis quae juxta litteram facta est, signum est domus Israel quod propheta fecit; si ad mysterium quod quotidie erga uniuscujusque animam a doctore agitur, signum est domus Israel et hoc quod egit, et hoc quod agendo nuntiavit, quia sicut domus Israel obsidionem corporaliter pertulit, ita unaquaeque anima quae jam servire omnipotenti Deo incipit obsidentes se insidias malignorum spirituum sentit. A quibus si vere eripi appetit, scire debet quia eripi sua virtute non possit; sed ejus necesse est ut adjutorium speret qui nos, et in carne corruptibili viventes, per redemptionis suae mysterium potest etiam super spiritus qui sunt sine carne roborare, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS .

Praefatio.

1307 Quoniam, multis curis prementibus, Ezechielis prophetae librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desideriis placuit petere ut saltem extrema ejus visio, quae ei facta est de aedificio in monte constituto, quae et cunctis est visionibus ejus obscurior,

exponi debuisset. Et quidem voluntati vestrae me parere necesse est, sed duo sunt quae hac in re perturbant animum meum. Unum, quod haec eadem visio tantae obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Langobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padum transisse cognovimus **(Supra, hom. 11, n. 26, et l. v, epist. 40)**. Unde pensate, fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, **1308** timoris sui perturbationibus occupata. Quanto enim circa terrena plus angitur, tanto in his quae sunt coelestia minus videt; et pro eo quod curis suis extra se ducitur, valde intus minor est, quia, sicut scriptum est: *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* **(Sap. IX, 15)**. Quae enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere poterit divisa? Scimus autem, scimus omnes, quia et fluvius qui in multis rivis dividitur, a suo alveo exsiccatur. Sed tamen inter haec adest superna gratia. Et si mentem meam cogitationum mearum pondera deprimunt, vestrorum hanc pennae desideriorum levant. Obscurum quidem valde est opus quod aggredimur, sed ponamus in animo quia nocturnum iter agimus. Restat ergo ut hoc palpando carpamus.

HOMILIA PRIMA *In explicatione trium priorum versuum cap.* XL *Ezechielis, et quarti inchoati, de Christo et Ecclesia, de electis et de*

occultis erga eos Dei judiciis, praesertim disseritur.

1307 EZECH. XL, 1.---*In vigesimo et quinto anno transmigrationis nostrae, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc.*

1. Dicturus mystica, narrationem historicam praemittit, ut figat ex tempore, quod credatur ex revelatione. Notandum vero quod in exordio libri hujus quo anno prophetare coeperit indicavit; in fine vero inseruit quo extremam visionem vidit, ita ut cognosci valeat in quot annis prophetiae suae librum duxerit. Tempus namque quo prophetare coepit, in locutionis suae initio posuit, dicens: *Aperti sunt coeli, et vidi visiones Domini in quinta mensis; ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin* **(Ezech. I, 1)**. Nunc vero loquitur, dicens: *In vigesimo et quinto anno transmigrationis nostrae.* Idem namque propheta in captivitate prima cum Joachin rege fuerat in Babyloniam transductus **(IV Reg. XXIV, 25)**. Nam de secunda Jerosolymorum captivitate **1308** subjungit: *Quarto decimo anno postquam percussa est civitas.* Undecim quippe annis Sedecias post captivitatem primam, in qua Ezechiel propheta cum Joachin rege ductus est in Babylonem, in Jerosolymorum urbe regnaverat. Post captivitatem vero ejusdem Sedeciae, quae jam secunda erat urbis captivitas, quarto decimo anno propheta visionem ultimam videbat. Undecim itaque et quatuordecim simul juncti faciunt viginti et quinque. Si igitur visionem primam quinto captivitatis prioris anno locutus est,

atque hanc ultimam vigesimo et quinto anno factam fuisse describit, profecto patet quod in viginti annis locutionis suae moras usque ad ultimae visionis suae verba tetenderit. Nec moyere quempiam debet quod in medio prophetiae suae volumine, cum de Babylonico rege loqueretur, vigesimi ac septimi anni memoriam facit. Quo in loco cum nihil de tempore suae captivitatis interserit, aperte demonstrat, quia ejus regis tempora describat, **1309** de quo ut prophetaret acceperat. Quod vero ait: *In exordio anni, decima mensis,* tempus simpliciter exprimit, ut ex ipso quoque tempore in corda audientium juxta litteram verbi radicem figat, ex qua spiritales fructus postmodum proferat.

2. Notandum vero quod ait: *Quartodecimo anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die.* Quid est enim quod per hanc visionem ultimam omnipotens Deus ea ipsa die dignatus est promissionis suae misericordiam facere, qua die in percussa civitate iram justitiae implevit, nisi quod illa divinitatis vis, quae in diversitatis motum et mutabilitatem non ducitur, ea ipsa luce justitiae afflictos ac poenitentes vivificat, qua superbientes ac rigidos percutit? Praemisso itaque visionis suae tempore, subjungit:

VERS. 1, 2.---*Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Dei: adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum.*

3. Cujus videlicet civitatis aedificium accipi juxta litteram nullatenus potest. Nam paulo post subdit hoc ipsum aedificium calamo sex cubitorum et palmo, portam vero ejusdem aedificii quatuordecim cubitis mensuratam,

cujus portae frontes esse perhibet sexaginta cubitorum. Quae cuncta stare juxta litteram nullatenus valent. Quomodo enim totum simul aedificium calamo, id est sex cubitis et palmo mensuratur, et portae aedificii in quatuordecim cubitis, frontes vero portarum in sexaginta cubitis extenduntur? Porta enim in civitate est, frontes vero in portis. Et nulia recipi ratio permittit, quia minus est hoc quod continet ab eo quod continetur. In Scriptura autem sacra et ea quae accipi secundum historiam possunt, plerumque spiritaliter intelligenda sunt, ut et fides habeatur in veritate historiae, et spiritalis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriae. Sicut illud quoque novimus quod Psalmista ait: *Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quas tu fundasti* **(Psal. VIII, 4)**. Ecce enim in exteriori descriptione stat sermo rationis, quia et coeli opera Dei sunt, et luna ac stellae ab eo creatae atque fundatae sunt. Sed si hoc Psalmista juxta sola exteriora opera, et non etiam secundum intellectum mysticum asserit, qui coelos opera Dei esse professus est, dicturus lunam et stelias, cur non etiam solem, quem scimus quia ejus opus est **(Genes. I, 16)**, pariter enumeravit? Si enim juxta solam litteram loquebatur, dicturus luminare minus, prius luminare majus dicere debuit, ut ante solem, et post lunam atque stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam Ecclesiam, et stellas sanctos omnes accipere deberemus, solem nominare noluit, quia videlicet ipsi aeterno Soli loquebatur, de quo scriptum est: *Vobis autem qui timetis Dominum, orietur sol justitiae* **(Malac. IV, 2)**. De quo reprobi in fine dicturi sunt: **1310** *Sol justitiae non ortus est nobis.* Dicendo ergo, *Lunam et stellas quas tu fundasti* **(Sap. V, 6)**, et tamen tacendo solem qui factus est, indicavit quia illi

Soli locutus est qui non solum solem et lunam atque stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam atque stellas sanctos omnes spiritaliter fecit. Si ergo cum aliquid deest historiae, aperta ratione ducimur ad intellectum allegoriae; quanto magis illa spiritaliter accipienda sunt, in quibus juxta rationem litterae nihil historicum sonat? *Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Dei; adduxit me in terram Israel.* Quod dixerat, *Adduxit me illuc,* hoc replicans subdidit: *Adduxit me in terram Israel.* Ait enim: *Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Domini.* Manus etenim virtutem potestatis, visiones vero ipsam quam acceperat revelationem significant. Manus quippe in visione est virtus in contemplatione. Quibus verbis quid aperte indicat, nisi quia nihil de civitate quam viderat juxta litteram dicat? Nam spiritaliter de ea loquitur quam spiritaliter contemplatur.

4. *Et dimisit me super montem excelsum nimis.* Quem ergo significat mons excelsus nisi Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum? Qui de terra quidem, sed ultra terram est, quia caro ejusdem Redemptoris nostri de imis habet materiam, sed in summis praeeminet ex potestate. Quem minus erat ut excelsum diceret, nisi adderet *nimis,* quia non solum homo, sed ex ejusdem humanitatis conceptione quae ab eo assumpta est Deus homo, non solum homo ultra homines, sed homo etiam super angelos factus. Hinc enim de illo per Isaiam dicitur: *In die illa erit fructus terrae sublimis* **(Isai. IV, 2)**. Creator etenim noster, quia pro nobis incarnatus est, fructus terrae factus est nobis. Sed jam fructus terrae sublimis est, quia homo natus in terra super angelos regnat in coelo, quia juxta David et Pauli vocem, *Omnia*

subjecit sub pedibus ejus **(Psal. VIII, 8; Hebr. II, 8)**. In eo enim quod ei subjecit omnia, nihil demisit non subjectum ei. Mons ergo iste est et excelsus, et nimis, quia etsi de terra est per substantiam humanitatis, incomprehensibilis tamen est ex altitudine divinitatis. Hinc est enim quod eumdem Dominum cum Isaias propheta prospiceret in carne esse venturum, per prophetiae spiritum sublevatus, ait: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* **(Isai. II, 2)**. Domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est, qui ex Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri qui montes jure vocarentur, quia per vitae meritum ad coelestia propinquaverunt. Sed incarnatus unigenitus istis montibus aequalis non fuit, quia naturam, vitam, merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde et recte mons super verticem montium dicitur, quia excelsus ex divinitate sua inventus est, etiam super cacumina sanctorum, **1311** ut hi qui multum in Deo profecerant, ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. Qui ergo illic mons super verticem montium dicitur, ipse hic mons excelsus nimis esse perhibetur. Sequitur:

5. *Super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum.* Notandum est quod non dicitur, Super quem erat aedificium, sed *quasi aedificium,* ut videlicet ostenderetur quod non de corporalis, sed de spiritalis civitatis aedificio cuncta dicerentur. Qui enim non se aedificium, sed quasi aedificium vidisse perhibet, cor audientium ad spiritalem fabricam mittit, sicut per Psalmistam dicitur: *Jerusalem quae aedificatur ut civitas* **(Psal. CXXI, 3)**. Quia etenim illa internae pacis visio ex sanctorum civium congregatione

construitur, Jerusalem coelestis ut civitas aedificatur. Quae tamen in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur. Et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia, quae regnatura in coelo adhuc laborat in terra. Cujus civibus Petrus dicit: *Et vos tanquam lapides vivi superaedificamini* **(I Pet. II, 5)**. Et Paulus ait: *Dei agricultura, Dei aedificatio estis* **(I Cor. III, 9)**. Quae videlicet civitas habet hic in sanctorum moribus magnum jam aedificium suum. In aedificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur; et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic itaque, sic in sancta Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos aedificium charitatis surgat. Hinc enim Paulus admonet, dicens: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* **(Galat. VI, 2)**. Cujus legis virtutem denuntians, ait: *Plenitudo legis charitas* **(Rom. XIII, 10)**. Si enim ego vos portare negligo in moribus vestris, et vos me tolerare contemnitis in moribus meis, charitatis aedificium inter nos unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? In aedificio autem, ut praediximus, lapis qui portat portatur, quia sicut ego jam mores eorum tolero qui adhuc in conversatione boni operis rudes sunt, ita ego quoque ab illis toleratus sum, qui me in timore Domini praecesserunt et portaverunt, ut portatus portare discerem. Sed ipsi quoque a majoribus suis portati sunt. Lapides vero qui in summitate atque extremitate fabricae ponuntur, ipsi quidem portantur ab aliis, sed alios nequaquam portant, quia et hi qui in fine Ecclesiae, id est in extremitate mundi nascituri sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona opera componantur; sed cum non eos sequuntur qui per illos proficiant, nullos super se fidelis

fabricae jam lapides portant. Nunc itaque alii portantur a nobis, nos vero portati sumus ab aliis. Omne autem pondus fabricae fundamentum portat, quia mores simul omnium solus Redemptor noster tolerat. De quo Paulus ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus* **(I Cor. III, 11)**. Portat fundamentum lapides, et a lapidibus non portatur, quia Redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit quod tolerari debuisset. Unde bene nunc dicitur: *Dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi* **1312** *aedificium civitatis,* quia mores et culpas nostras solus ille sustinet, qui totam sanctae Ecclesiae fabricam portat. Qui per prophetae vocem de perverse adhuc viventibus dicit: *Laboravi sustinens* **(Jerem. VI, 11)**. Non autem sustinendo Dominus laborat, cujus divinitatis potentiam nulla fatigatio contingit; sed, verbis humanis loquens, ipsam suam circa nos patientiam laborem vocat.

6. Et notandum quod eamdem civitatem quam propheta conspexit ad Austrum vergentem vidit. Auster enim ventus quia in sancti Spiritus typo poni soleat, hi qui in sacro eloquio studiosi sunt recognoscunt; sicut e contrario per Aquilonem saepe diabolus designatur, quia et ille relaxat in calore, et iste constringit in frigore. Et Veritas dicit: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum* **(Matth. XXIV, 12)**. Propheta quoque de Judaea asserit, dicens: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam* **(Jerem. VI, 7)**. Hinc enim diabolus, propheta eodem attestante, dixisse perhibetur: *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis* **(Isai. XIV, 13)**. At contra haec civitas ad Australem partem vergit, quia torporem mentis sancti Spiritus

gratia relaxat. Hinc Psalmista ait: *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro* **(Psal. CXXV, 4)**. Captivitas enim nostra, quae torporis frigore ad sequendum Deum pigra remanserat, per calorem sancti Spiritus relaxatur, ut currat in amorem Dei. Unde et nunc dicitur quod civitas quae in monte constituta est ad Austrum vergit, quia electorum Ecclesia cogitationes suas in afflatu sancti Spiritus aperit, atque, ab omni superbiae suae vertice descendens, in Deo, cui credit, amoris calorem concipit, ut nihil ei libeat, nisi ejus gratiae submitti, dilectione calefieri, ejus afflatus semper munere repleri. Unde et valido amore succensus contemplator dicebat: *Anima mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari ejus* **(Psal. XXXIV, 9)**. Qui enim Latine salutaris, ipse Hebraice Jesus dicitur. Propheta igitur quia vias ejus atque miracula redemptionis quoque nostrae mysterium per prophetiae spiritum contemplabatur, exsultare se in Domino et delectari super Jesu perhibet, quia inde gaudium in mente conceperat unde per amorem fortiter ardebat. Pensemus itaque si mentes spiritalium patrum in illo delectatae sunt qui necdum venerat, sed praevidebatur, cujus reatus sit ejus vias, ejus exempla, ejus monita, postquam venit et redemptionem exhibuit, non amare. Haec ergo civitas ad Austrum vergere dicitur, ac si aperte diceretur quod prior illa civitas, scilicet Synagoga, in infidelibus suis ad Aquilonem stetit, quae in frigore perfidiae duravit. Sancta vero Ecclesia, quae charitatem fidei concepit, per calorem ad Austrum vergit, et quasi calido vento innititur, quia non in sui fiducia, sed in dono spiritalis gratiae laetatur. Sequitur:

VERS. 3.---*Et introduxit me illuc.*

7. Coelestis civitatis aedificium ille intrat, qui in sancta Ecclesia bonorum vias imitando considerat. Intrare quippe est aedificium super montem, electos sanctae Ecclesiae in virtutum culmine constitutos qualiter in Domino proficiant amando considerare. Iste enim vitam conjugio ligatam ducit, **1313** propriis rebus contentus est, aliena non diripit, de suo quidquid praevalet indigentibus largitur, peccata sine quibus quotidiana vita a conjugatis duci non potest flere non negligit. Pro eo enim quod ipsa familiaris cura animum conturbat, sese ad lacrymas excitat. Ille vero jam cuncta quae sunt mundi deseruit, nil ejus habere appetit, solius contemplationis exercitatione pascitur, spe praemiorum coelestium cum fletibus laetatur, transcendit ipsa etiam quae haberi concessa sunt, quotidianum cum Domino habere secretum quaerit, nulla ejus animum praetereuntis mundi cura perturbat, mentem semper in exspectatione coelestium gaudiorum dilatat. Alius vero jam hujus mundi cuncta deseruit, ejusque mens in contemplationem coelestium sublevatur; sed tamen pro aedificatione multorum, locum regiminis tenens, qui rebus praetereuntibus ex desiderio non succumbit, ad eas aliquando propter proximorum compassionem reflectitur, ut ex earum cura indigentibus misereatur; verbum vitae auditoribus praedicat, animabus simul et corporibus necessaria ministrat. Et qui propter se ad coeleste desiderium jam per contemplationem evolat, adhuc tamen pro provectu et utilitate proximorum in rebus temporalibus desudat. Quisquis ergo in sancta Ecclesia considerare sollicite studet, ut aut in bonorum conjugatorum vita, aut in arce continentium et omnia quae sunt hujus mundi derelinquentium, aut etiam in praedicatorum summitate proficiat, jam civitatis in monte positae aedificium intravit.

Nam qui considerare meliorum vitam ut proficiat negligit, adhuc extra fabricam stat. Et si honorem quem jam sancta Ecclesia in mundo habet admiratur, quasi aedificium foris conspicit et obstupescit. Et quia exterioribus solis intentus est, intus ingressus non est. Sequitur:

IBID.---*Et ecce vir, cujus erat species quasi species aeris.*

8. Ipse signatur in viro, qui figuratur in monte. Vir autem iste metiri aedificium dicitur. Et recte Dominus per virum signatur et montem, quia et ipse omnia intra sanctam Ecclesiam judicando disponit, et ipse eamdem sanctam Ecclesiam portat, et portando ad coelestia sublevat. Sic in sancto quoque Evangelio idem Redemptor noster loquitur, dicens: *Qui intrat per ostium, pastor est ovium* **(Joan. X, 1)**. Et paulo post: *Ego sum ostium* **(Ibid., 7)**. Atque iterum post pauca subjungit: *Ego sum pastor bonus* **(Ibid., 11)**. Si igitur ipse pastor, et ipse ostium, et intrat pastor per ostium, cur non hoc loco et ipse mons, et ipse vir intelligitur, qui aedificium metitur in monte?

9. Sed quaerendum nobis est cur de hoc viro dicitur, *Cujus species erat quasi species aeris.* Cuncti autem novimus, fratres, metallum aeris valde esse durabile, atque omnimodo sonorum. Quid est ergo quod aspectus Mediatoris Dei et hominum speciei comparatur aeris, nisi hoc quod aperte novimus, quia unigenitus Filius, formam servi accipiens, fragilitatem carnis humanae per resurrectionis suae gloriam vertit in aeternitatem, quia in eo caro facta est jam sine fine durabilis? Nam *surgens a mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* **(Rom. VI, 9)**. Quid est autem, quod ipsa ejus incarnatio sonoro metallo comparatur, nisi **1314** quod per eamdem assumptionem humanitatis

nostrae insonuit omnibus gloria majestatis suae? Et quasi aspectum aeris habet in corpore, quia Deus mundo innotuit ex carne. Unde et per Joannem dicitur: *Habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium* **(Apoc. XIX, 16)**. Quid enim vestimentum ejus est, nisi corpus quod assumpsit ex Virgine? Nec tamen aliud ejus vestimentum est, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur. Hoc autem vestimentum illius longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* **(Isai. LXIII, 2.)** Cui ipse respondit: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* **(Ibid., 3)**. Solus enim torcular in quo calcatus est calcavit, qui sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem dicitur: *Et de gentibus non est vir mecum* **(Ibid.)**, quia hi pro quibus pati venerat passionis ejus esse participes debebant, qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita in illa passione quaerebatur. Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propagationem generis humani, sicut generationum ordines Matthaeo **(Matth. I, 1, seq.)**, vel Luca **(Luc. II, 7; III, 23, seq.)** narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex virgine, et per incarnationis suae mysterium quia Rex esset et Dominus cunctis ubique gentibus indicavit, in vestimento et femore scriptum habuit: *Rex regum, et Dominus dominantium* **(Apoc. XIX, 16)**. Unde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis scientiam infixit. Praedicatio ergo ejus ex carne, quasi quidam sonitus ex aere

est. Dicatur igitur recte: *Cujus species quasi species aeris.* Sequitur:

IBID.---*Et funiculus lineus in manu ejus.*

10. In Septuaginta interpretibus funiculus lineus non habetur, sed *funiculus caementariorum.* Quorum si in hoc versu translationem ad exponendum tenemus, quid aliud caementarios quam sanctos doctores accipimus, qui, loquendo spiritalia, ad coeleste aedificium vivos lapides, id est electorum animas, componunt? Quidquid enim antiqui patres, quidquid prophetae, quidquid apostoli, quidquid apostolorum successores locuti sunt, quid aliud fuit quam compositio lapidum in hac quae quotidie construitur fabrica sanctorum? In funiculo autem caementariorum hoc agi solet, ut cognosci aequalitas vel rectitudo surgentis parietis valeat; et si lapis intus est, foras ejiciatur; si exterius prominet, interius revocetur. Et certe quotidie hoc agit praedicatio doctorum, ut unaquaeque anima, cui regiminis onera suscipere fortasse non expedit, etiamsi foris apparere appetat, interius revocetur; et rursum quae latere vult et sui tantummodo curam gerere, si sibi ac multis esse utilis potest, etiam cum latere desiderat, exterius producatur ut appareat. Sicque fit ut sanctorum lapidum ordo teneatur, dum saepe et volens ad honorem venire repellitur, et honorem fugiens in sacri ordinis arce sublevatur. Sed quia, ut per interpretem nostrum didicimus, Hebraeorum historia non habet *caementariorum,* **1315** sed *funiculus lineus in manu ejus,* hoc quod apud nos certius habetur, exponere debemus. Scimus autem quod funiculus lineus subtilior est quam si funiculi fiant aliunde. Et quid in funiculo lineo, nisi subtiliorem praedicationem, id est spiritalem debemus

accipere? Censura etenim legis funiculus fuit, sed lineus non fuit, quia rudem populum non subtili praedicatione coercuit, in quo per poenae sententiam non peccata cogitationis, sed operis resecavit. At postquam per semetipsum Dominus etiam cogitationes hominum praedicando religavit, et perfectum esse peccatum etiam in corde innotuit, funiculum lineum in manu tenuit. Ait enim: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis; ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V, 27; Exod. XX, 14)**. Funiculus ergo lineus praedicatio est subtilis, quae mentem audientis ligat, ne se vel in misera cogitatione dissolvat. Et notandum quod dicitur, quia ei funiculus in manu est, id est praedicatio in operatione. In se enim ostendit omne quod docuit, sicut scriptum est: *Quae coepit Jesus facere et docere* **(Act. I, 1)**. Et quia ipsa quae dixit etiam scripturae tradidit, ut ad posteros mandarentur, recte subjungitur:

IBID.---*Et calamus mensurae in manu ejus.*

11. De sancta Ecclesia per prophetam alium Dominus pollicetur, dicens: *Orietur in ea viror calami et junci* **(Isai. XXXV, 7)**. Quod in loco alio exposuisse me memini **(Lib. XXIX Moral., n. 51)**, ut per calamum scriptores, per juncum vero debeant auditores intelligi. Sed quia ad humorem aquae et juncus et calamus nasci solet, et ex una eademque aqua utraque proficiunt, et calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest, quid in junco et calamo accipere debemus, nisi quod una est doctrina veritatis, quae multos auditores irrigat? Sed irrigati alii ad hoc usque proficiunt in verbo Dei, ut etiam scriptores fiant, videlicet tanquam calami; alii vero verbum vitae audiunt, bonae spei et

rectorum operum viriditatem tenent, sed tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt. Hi quid in aqua Dei nisi quidam, ut ita dicam, junci sunt? Qui quidem viridescendo proficiunt, sed litteras exprimere nequaquam possunt. Redemptor igitur noster, quia verba quae dixit etiam per doctorum studium scribi largitus est, in manu calamum tenuit. Qui calamus mensurae dicitur, quia in ipsa doctorum studia sub quadam occulti judicii dispensatione detinentur, ut et aliis legentibus prosint, et aliis legentibus prodesse non possint. Unde sancti apostoli, cum magistrum veritatis sibi apertius loquentem requirerent cur turbis in parabolis loqueretur, audierunt: *Quia vobis datum est nosse mysterium regni coelorum, illis autem non* **(Matth. XIII, 11)**. Vel certe calamus mensurae est, quia in ipso sacro ejus eloquio, quod nobis conscriptum est, occultas esse dispensationes ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium et alter intra mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo funiculum, habet in manu calamum mensurae. Qui enim funiculo locum metitur, **1316** alibi funiculum trahit, aliunde retrahit, et huc ducit quem aliunde subducit. Sic nimirum, sic Redemptor noster in collectione hominum facit, dum alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignatusest occultae mensurae funiculum traxit, et ab his quos derelinquendos esse judicavit, quid aliud nisi funiculum retraxit? ut et boni intra mensuram coelestis fabricae teneantur, et mali extra fabricam, in quibus bona quae aestimantur non sunt, quasi sine mensura remaneant.

12. Hunc funiculum et mensurae calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cum Paulum apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est, ita ut idem Macedo vir diceret: *Transiens adjuva nos* **(Act. XVI, 9)**. Et tamen volentes apostolos ad praedicandum ire in Asiam, non permisit Spiritus Jesu. Quid est quod sancti apostoli et ibi vocantur ire ubi fortasse pergere non cogitabant, et illuc ubi desiderabant pergere ire prohibentur, nisi quia occulti judicii funiculus et mensurae calamus tenetur in manu, ut et alii verba vitae audiant, et alii audire nullatenus mereantur? Funiculus ergo mensurae est, qui alio tractus est, aliunde retractus.

13. Sancto quoque Evangelio testante didicimus quod venit qui diceret: *Magister, sequar te quocunque ieris* **(Matth. VIII, 19)**. Cui responsum est: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* **(Ibid., 20)**. Venit alter qui diceret: *Magister, sine me primum ire, et sepelire patrem meum.* Cui dicitur: *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere, et annuntia regnum Dei* **(Ibid., 21, 22)**. Quid est quod ille promittit se ire, et deseritur; iste domum vult redire, et tamen ut sequi debeat jubetur? Ille non suscipitur, iste nec ad horae momentum ab obsequio relaxatur. Interna ergo occulti judicii dispensatione funiculus et mensurae calamus ducitur, in quo et iste trahitur, et ille relinquitur, ut coelestis fabrica non sine pio et justo examine construatur.

14. Potest etiam calamus mensurae Scriptura sacra pro eo intelligi, quod quisquis hanc legit, in ea semetipsum metitur vel quantum in spiritali virtute proficit, vel quantum a bonis quae praecepta sunt longe disjunctus remansit; quantum jam

assurgat ad bona facienda, quantum adhuc in pravis actibus prostratus jaceat. Sequitur:

IBID.---*Stabat autem in porta.*

15. Quisquis in porta stat, ex quadam parte intus est, ex quadam vero foris, quia aliud ejus foris aspicitur, aliud intus absconditur. Redemptor itaque noster, pro nobis misericorditer incarnatus, ante humanos oculos quasi in porta stetit, quia et per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem in divinitate servavit. Hinc enim Judaei qui hunc ex prophetarum promissione sustinuerant perfidiae suae confusione turbati sunt, quia eum quem ad ereptionem suam venire crediderant, mortalem videbant. Qui igitur in porta stat, sicut superius dictum est, ex quadam parte foris, ex quadam vero **1317** parte intus videtur. Unde nec ipsa Judaeorum perfidia sine divinae virtutis ostensione est derelicta. Nam miracula ejus videntes trahebantur ut crederent, sed rursum passiones illius perpendentes, dedignabantur Deum credere, quem carne mortalem videbant; unde factum est ut de ejus cognitione dubitarent. Videbant enim esurientem, sitientem, comedentem, bibentem, lassescentem, dormientem, et purum hunc hominem esse aestimabant. Videbant mortuos suscitantem, leprosos mundantem, caecos illuminantem, daemonia ejicientem, et esse hunc ultra homines sentiebant. Sed ipsa ejus miracula in eorum corde cogitata humanitas perturbabat. Unde sancta Ecclesia sub sponsae voce hunc aperte jam videre desiderans, ait: *En ipse stat post parietem nostrum* **(Cant. II, 9)**. Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit ostendit, et in seipso invisibilis permansit, in aperto se videre quaerentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifestata majestate non

praebuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde et illic subditur: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* **(Ibid.)**. Quisquis enim per fenestras, vel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur. Sic sic nimirum Redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens nil pertulisset ut homo, plene eis apparuisset Deus; et rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, purus putaretur homo. Sed quia et divina fecit, et humana pertulit, quasi per fenestras vel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus et appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus, et homo cerneretur ex passionibus, sed tamen esse ultra hominem ex miraculis agnosceretur. Sed quia vir iste stare in porta dicitur, quaerendum nobis est utrum facie interius, et tergo exterius? Qua in re si ea quae sunt praemissa et subjuncta conspicimus, citius qualiter steterit invenimus. Prius enim dicitur: *Erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum, et introduxit me illuc.* Et paulo post de eodem viro subditur: *Stabat autem in porta.* Statimque subjungitur:

VERS. 4.---*Et locutus est ad me idem vir.*

16. Qui enim introducto prophetae in aedificium stans in porta locutus est, profecto constat quia facie interius, et tergo exterius stetit. Sed introductus propheta, cui vir stans in porta locutus est, procul dubio faciem ad portam tenebat, unde verba loquentis audiebat. Quid est ergo, quod vir interius aspicit, propheta foris? Quid est quod ejusdem viri facies ad aedificium, prophetae vero oculi ad portam sunt, nisi quod Unigenitus Patris idcirco incarnatus est, ut nos ad spiritale aedificium, id est ad sanctae Ecclesiae fidem introduceret?

Cujus oculi aedificium suum semper aspiciunt, quia quantum quisque in virtutibus proficiat indesinenter attendunt. Propheta vero ad portam respicit, quia qui verba Dei audit semper oculos cordis ponere ad exitum debet, et sine cessatione meditari quando a praesenti vita exeat, atque ad aeterna gaudia pertingat. Propter hoc quippe incarnatus est Deus, ut nos introducat ad fidem, **1318** et reducat ad speciem visionis suae. Unde quoque in sancto Evangelio Veritas loquitur, dicens: *Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* **(Joan. X, 9)**. Ingredietur videlicet ad fidem, egredietur autem ad speciem, pascua vero inveniet in aeterna satietate. Hinc etiam Psalmista ait: *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum* **(Psal. CXX, 8)**. Custodit enim Dominus uniuscujusque animae introitum, quo intrat ad fidem, et exitum quoque quo exit ad speciem, ut neque intrans Ecclesiam erroribus supplantetur, neque ab hac temporali ad aeternam exiens, ab antiquo hoste rapiatur. Propter hunc vero egressum nostrum quem quotidie debemus mente meditari, Apostolus de Redemptore nostro loquitur, dicens: *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim hic habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus* **(Heb. XIII, 12, 13, 14)**. Vir itaque qui apparuit in porta stetit, atque ita locutus est, quia Mediator Dei et hominum Christus Jesus in ipso quoque passionis suae tempore praecepta vitae discipulis dedit, ut hi qui in eum credunt ad portam semper respiciant, et, passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu cordis oculos non avertant. Nos quoque cum jam claustra carnis despicere, mortalitatis nostrae angustias per immortalitatis desiderium transire, ad supernae

lucis libertatem tendere, ad coelestis patriae gaudia anhelare coeperimus, ad portam oculos tenemus, quia dum a sacramentis temporalibus transire ad aeterna cupimus, quasi jam praesenti vitae terga dedimus, et cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Scriptum quippe est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* **(Sap. IX, 15)**. Sic itaque per contemplationem jam mente extra carnis angustias tendimus, adhuc tamen in sacramentis quae cognovimus ipsa carnali angustia intra portam tenemur.

17. Saepe namque animus ita in divina contemplatione suspenditur, ut jam se percipere de aeterna illa libertate quam oculus non vidit, nec auris audivit **(I Cor. II, 9)**, aliquid per quamdam imaginem laetetur; sed tamen, mortalitatis suae pondere reverberatus **(Isai. LXIV, 4)**, ad ima relabitur, et quibusdam poenae suae vinculis ligatus tenetur. Portae igitur intendit, qui verae libertatis suae gaudia conspicit, jamque exire concupiscit, sed adhuc non valet. Hinc est quod Hebraicus populus, de Aegypti servitute liberatus, cum loquente Deo columnam nubis cerneret, unusquisque in tabernaculi sui foribus stabat, et adorabat **(Exod. XXXIII, 10)**. De quibus paulo superius dicitur: *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui* **(Ibid., 8)**. Ibi etenim stamus, ubi mentis oculos figimus. Unde Elias ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* **(III Reg. XVII, 1)**. Ibi utique stabat, ubi cor fixerat. Quid est autem populum columnam nubis aspicere, et in tabernaculi sui foribus stare atque adorare, nisi quod humana mens cum superiora illa atque coelestia utcunque in aenigmate conspicit, jam claustra

habitationis corporeae per sublevatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat, **1319** cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem spiritus miratur? Et cum Moyses tabernaculum ingreditur, ejus terga populus aspicit, et in papilionum suorum ostiis consistit, quia cum sanctus quisque praedicator alta de Deo loquitur, supernae habitationis jam utcunque tabernaculum ingreditur. Cujus praedicationis infirmi quique etsi virtutem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt, quia postrema quae praevalent, per intellectum sequuntur. Sed et in ipsis quoque minimis quae capere sufficiunt jam de suis papilionibus quasi exeunt, atque in ostiis stant, quia et habitacula carnis relinquere et ad illa aeternae vitae gaudia quae audiunt progredi conantur. Hinc est etiam quod Elias, cum vocem Domini secum loquentis audiret **(III Reg. XIX, 9)**, in speluncae suae ostio stetisse describitur, et faciem velasse, quia cum per contemplationis gratiam vox supernae intelligentiae fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia animam carnis cura non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur.

18. Sed jam qui in ostio speluncae consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet, quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quanto subtilius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos **1320** in intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem **(Rom. XII, 3)**; ne dum nimis invisibilia discutimus, aberremus; ne in illa natura incorporea corporei luminis aliquid quaeramus. Aurem enim intendere et faciem

operire est vocem interioris substantiae audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quae ubique tota et ubique incircumscripta est. Nos itaque, fratres charissimi, qui jam per Redemptoris nostri mortem ac resurrectionem, atque ad coelos ascensionem, gaudia aeterna didicimus, qui in testimonium divinitatis ejus apparuisse exterius cives nostros angelos illius scimus, concupiscamus Regem, desideremus cives quos cognovimus, atque in hoc sanctae Ecclesiae aedificio stantes oculos in porta teneamus; demus terga mentis huic corruptioni vitae temporalis, intendamus cordis faciem ad coelestis patriae libertatem. Sed ecce adhuc multa sunt quae nos de cura vitae corruptibilis premunt. Quia ergo perfecte exire non possumus, saltem in speluncae nostrae ostio stemus, exituri quandoque prospere per gratiam Redemptoris nostri, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II. *In duobus cap.* XL *versibus, quarto videlicet ac quinto, explicandis, de activa et contemplativa vita fuse disserit sanctus Doctor, et plurima, suo more, documenta moralia inspergit.*

1321 1. Ne quidam me fortasse tacita cogitatione reprehendant quod Ezechielis prophetae tam profunda mysteria a magnis expositoribus intentata discutere praesumo,

qua mente id faciam agnoscant. Non enim hoc temeritate aggredior, sed humilitate. Scio enim quia plerumque multa in sacro eloquio quae solus intelligere non potui coram fratribus meis positus intellexi. Ex quo intellectu et hoc quoque intelligere studui, ut scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim quia hoc mihi pro illis datur quibus mihi praesentibus datur. Ex qua re, largiente Deo, agitur ut et sensus crescat, et elatio decrescat, dum propter vos disco quod inter vos doceo, quia (verum fateor) plerumque vobiscum audio quod dico. Quidquid ergo in hoc propheta minus intellexero, meae caecitatis est; si quid vero intelligere apte potuero, ex divino munere vestrae venerationis est. Saepe autem per omnipotentis Domini gratiam in ejus eloquio quaedam intelliguntur melius cum sermo Dei secretius legitur, atque animus, culparum suarum conscius, dum recognoscit, quod audierit, doloris se jaculo percutit, et compunctionis gladio transfigit, ut nihil ei nisi flere libeat, et fluentis fletuum maculas lavare. Inter quae etiam aliquando ad sublimiora **1322** contemplanda rapitur, et in eorum desiderio suavi fletu cruciatur. Dolet se hic esse anima, ubi adhuc prostrata per infirmitatem jacet, atque illic adhuc non esse ubi illuminata fortiter vigeat, et jam mentis oculum ad mortalitatis tenebras non reducat. Hinc itaque, hinc ardor nascitur in mente, luctus oboritur ex ardore. Et quia inhaerere coelestibus necdum valet, fervore suo in lacrymis fessa requiescit. Sed aliud est cum de unius profectu res agitur, aliud cum de aedificatione multorum. Ea itaque doctrinae sermone, largiente Deo, proferenda sunt quae vitam audientium moresque componunt. Nunc ergo quidquid nos ad studium bonae operationis aedificet in prophetae verbis, sicut coepimus, exsequamur.

EZECH. XL, 4.---*Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi.*

2. Ad. testimonium spiritalium rerum deducto, quid est quod cum dicitur: *Vide oculis,* additur *tuis,* et cum subditur *Audi auribus,* adjungitur *tuis?* Sed sciendum quia oculi atque aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum quae corporaliter videntur. Oculi vero atque aures cordis solummodo spiritalium sunt, qui invisibilia per intellectum vident, et laudem Dei **1323** sine sono audiunt. Has omnipotens Dominus aures quaerebat, cum diceret: *Quis habet aures audiendi audiat* **(Luc. VIII, 8)**. Quis namque in illo populo esse tunc poterat, qui aures corporis non haberet? Sed cum dicitur: *Qui habet aures audiendi audiat,* aperte monstratur quod illas aures quaereret quas omnes habere non poterant. Dicatur ergo: *Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi* **(Sup., hom. 12, n. 21)**. In priori autem locutionum nostrarum parte jam diximus cur propheta, quoties ad videnda spiritalia ducitur, filius hominis appellatur. Sed ne hoc mente excesserit, breviter replico, quia hac appellatione memoratur semper quid est ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Et notandum quia diversa sunt ut dicatur, *Oculis tuis vide, auribus tuis audi,* et tamen filius hominis vocetur. Sed per haec verba quid ei aliud aperte dicitur, nisi, spiritalia spiritaliter aspice, et tamen carnales infirmitates tuas memorare?

3. Hinc est etiam quod plerumque qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur; sicut quibusdam saepe contingere bene proficientibus solet, quorum mentem dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super semetipsam rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne

de his ad quae rapta est extollatur. Nam compunctione vel contemplatione ad Deum erigitur, sed tentationis suae pondere reverberatur ad semetipsam, quatenus tentatio aggravet, ne contemplatio inflet; et item contemplatio elevet, ne tentatio demergat. Si enim sic contemplatio attolleret, ut tentatio funditus deesset, in superbiam animus caderet. Et si sic tentatio premeret ut contemplatio non elevaret, plene in culpam laberetur. Sed mira dispensatione, in quodam medio anima libratur, ut neque in bonis superbiat, neque in malis cadat. Unde et per beatum Job de Domino dicitur: *Et aquas appendit mensura* **(Job XXVIII, 25; XIX, 25)**. Aquas quippe Deo mensura appendere est inter prospera et adversa, inter dona et tentationes, inter summa et infima animarum sensum in humilitate custodire. Sic Elias ignem de coelo deposuerat, aquas coelo ligaverat, et tamen pavore unius mulieris territus, per deserta fugiebat **(Reg. XVIII, 38; XVII, 1; XIX, 3)**. Apparet fugienti angelus, cibum praebet, quia longum iter restat praedicit, et tamen timorem de corde non excutit **(III Reg. XIX, 7, 8)**, quia in prophetae mente magna erat custodia fortitudinis, illa infirmitas timoris. Sequitur.

VERS. 4.---*Pone cor tuum in omnia quae ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi adductus es huc. Annuntia omnia quae tu vides domui Israel.*

1. *Pone cor tuum.* Ac si dicatur: Considera. *Quia ut ostendantur tibi adductus es huc, et annuntia omnia quae vides.* Id est, ideo adductus es ut videas, et ideo vides ut annunties, quia quisquis spiritalia videndo proficit, oportet ut haec loquendo etiam aliis propinet. Videt quippe ut annuntiet, qui in eo quod in se proficit etiam de profectu proximi praedicando curam gerit. Unde et alibi scriptum est: *Qui audit*

dicat: Veni **(Apoc. XXII, 17)**. Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est **1324** ut proximis per praedicationis officium erumpat in voce; et idcirco alium vocet, quia jam ipse vocatus est. Unde et sponsus quoque in Canticis canticorum loquitur, dicens: *Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam* **(Cant. VIII, 13)**. In hortis enim sancta Ecclesia, in hortis unaquaeque anima habitat, quae jam viriditate spei est et bonorum operum charitate repleta. Sicca quippe spes est hujus saeculi, quia omnia quae hic amantur cum festinatione marcescunt; et Petrus nos apostolus festinare admonet, dicens: *In haereditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem* **(I Petr. I, 4)**. Quae ergo jam in hortis habitat, oportet ut sponsum suum vocem suam audire faciat, id est canticum bonae praedicationis emittat, in qua ille delectetur quem desiderat, quia amici auscultant, videlicet omnes electi, qui, ut ad coelestem patriam reviviscant, verba vitae audire desiderant. Sed jam propheta ea nobis quae videt aperiat. Sequitur:

VERS. 5.---*Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique.*

5. Plerumque in sacro eloquio ex protectionis suae munimine murus dici ipse incarnatus Dominus solet, sicut de sancta Ecclesia per prophetam dicitur: *Ponetur in ea murus, et antemurale* **(Isai. XXVI, 1)**. Ipse enim nobis murus est, qui nos undique custodiendo circumdat. Antemurale autem muri nostri prophetae omnes fuerunt, qui priusquam Dominus appareret in carne, ad construendam fidem prophetando missi sunt. In sancta ergo Ecclesia Dominus murus nobis et prophetae ejus antemurale sunt positi, quia ad nos, quos ipse

perfecte protegit, etiam prophetarum verba in fidei constructione venerunt. Unde et bene prius murus, et post antemurale ponitur, quia vocati ex gentibus, nisi prius Dominum cognosceremus, prophetarum illius dicta minime suscepissemus. Et notandum quod iste murus spiritalis aedificii esse forinsecus dicitur. Murus quippe qui ad munitionem aedificii construitur, non interius, sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit ut diceretur forinsecus, cum nunquam poni murus intrinsecus soleat? quia necesse est ut exterius positus ea quae intus sunt defendat. Sed in hoc verbo quid aperte nisi ipsa dominica incarnatio demonstratur? Murus enim nobis intus est Deus, murus vero foris est Deus homo. Unde ei per quemdam prophetam dicitur: *Existi in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos* **(Habac. III, 13)**. Iste etenim murus incarnatus, videlicet Dominus, murus nobis non esset, si forinsecus non fuisset, quia intus nos non protegeret, si exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter praetereundum est, quod idem murus positus dicitur in circuitu domus undique. Domus quippe Dei non solum angeli sancti, de quibus Psalmista ait: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum tabernaculi gloriae tuae* **(Psal. XXV, 8)**, sed etiam nos sumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Et murus iste undique in circuitu domus est, quia Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum. Illis fortitudo ne cadant, **1325** nobis adjutorium ut surgamus post casum.

6. Si vero per domum Dei hoc loco sola redemptorum hominum multitudo signatur, undique nobis Dominus et per circuitum murus est, quia, ut nos perfecte custodiret, omnia quae docuit ostendit, sicut scriptum est: *Quae coepit Jesus*

facere et docere **(Act. I, 1)**. Quia enim vocare nos ad coelestem patriam venit, nimirum despicere nos bona transitoria docuit, et mala temporalia non timere. Unde et opprobria non despexit, injurias pertulit, mortem non timuit, crucis patibulum non refugit; et cum hunc voluissent rapere, et regem constituere, statim fugit **(Joan. VI, 15)**; quid nobis aliud his exemplis innuens, nisi ut debeamus hujus mundi et adversa non metuere, et prospera vitare? quia plus plerumque ejus bona occupant animum quam mala perturbant. Ante passionem vero suam contumelias audivit, nec tamen contumelias reddidit; traditorem suum diu tacitus pertulit, eique ficte salutanti dare osculum non recusavit; suscepit mortem, ne mori timeremus; ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus. Post passionem quoque suam de his qui se crucifixerant ad fidei gratiam vocavit, donum pro iniquitate reddidit. Qui ergo nos exemplo suo de omnibus instruxit, murus nobis per circuitum et undique factus est. Sequitur:

IBID.---*Et in manu viri calamus mensurae sex cubitorum et palmo.*

7. Praeterita lectione **(Hom. sup. n. 14)** jam diximus quia per calamum Scriptura sacra signatur. Qui calamus mensurae esse dicitur, quia in ipsa omnem vitae nostrae actionem metimur, ut scilicet videamus vel quantum proficimus, vel quantum longe a profectu distamus. Nam saepe aliquid agentes, jam cujusdam meriti esse nos credimus; sed cum ad verba Dei recurrimus, praecepta sublimia audimus, ibi cognocimus quantum a perfectione minus habeamus. Calamus ergo mensurae est, quia per manus scribentium vita mensuratur auditorum. Qui calamus in manu viri esse dicitur,

sive quia sacrum eloquium in potestate est Mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu, seu certe quia hoc quod scribi voluit operando complevit. Idem vero calamus sex cubitorum et palmo esse describitur. Duae etenim vitae sunt, in quibus eos omnipotens Deus per sacrum eloquium erudit, activa videlicet et contemplativa. Et per sex cubitos quid aliud quam activa vita exprimitur? quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua **(Genes. II, 1)**. Palmus vero, qui super sex cubitos esse dicitur, jam de septimo est, sed tamen cubitus non est. Activa ergo vita signatur per sex cubitos, contemplativa per palmum, quia illam opere perficimus, de ista vero etiam cum contendimus, vix parum aliquid attingere valemus.

8. Activa enim vita est, panem esurienti tribuere, verbum sapientiae nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quae singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei proximi tota mente retinere, sed ab **1326** exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhaerere, ut nil jam agere libeat, sed, calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat; ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum moerore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri coelestibus civibus, de aeterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. In palmo itaque manus et digiti tenduntur. Sed parum quid de mensura cubiti per palmum contingitur, quia quantolibet amore animus ardeat, quantalibet virtute se in Deum cogitatione tetendit, non jam quod amet perfecte videt, sed adhuc inchoat videre quod amat,

quia sicut fortissimus praedicator dicit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* **(I Cor. XIII, 12)**. Et, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* **(Ibid.)**. De septimo ergo cubito palmum tangimus, quia in hac vita positi contemplationis intimae sola initia degustamus. Activa enim vita quia perfecte teneri potest, et sexto die homo est conditus **(Genes. I, 27)**, qui bona debet operari, sex cubitos calamus habet.

9. Bene has utrasque vitas duae illae mulieres signaverunt, Martha videlicet et Maria **(Luc. X, 40)**: quarum una satagebat circa frequens ministerium, alia vero sedebat ad pedes Domini, et audiebat verba de ore ejus. Cumque contra sororem Martha quereretur quod se adjuvare negligeret, respondit Dominus, dicens: *Martha, occuparis et satagis circa multa; porro unum est necessarium. Maria autem optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* **(Ibid., 41, 42)**. Ecce pars Marthae non reprehenditur, sed Mariae laudatur. Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthae indicaretur bona. Quare autem pars Mariae sit optima, subinfertur cum dicitur: *Quae non auferetur ab ea.* Activa etenim vita cum corpore deficit. Quis enim in aeterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esurit? Quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Cum praesenti ergo saeculo vita aufertur activa, contemplativa autem hic incipitur, ut in coelesti patria perficiatur, quia amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescet. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia subtracta praesentis saeculi luce perficitur.

10. Has utrasque vitas, sicut et ante nos dictum est **(Ab August., l. XXII contra Faustum, c. 54, 55)**, duae beati Jacob mulieres signaverunt, Lia videlicet et Rachel **(Genes. XXIX, 16)**. Lia quippe interpretatur laboriosa, Rachel vero ovis, vel visum principium. Activa autem vita laboriosa est, quia desudat in opere; contemplativa vero simplex ad solum videndum principium anhelat, videlicet ipsum qui ait: *Ego principium, propter quod et loquor vobis* **(Joan. VIII, 25)**. Beatus autem Jacob Rachel quidem concupierat, sed in nocte accepit Liam, quia videlicet omnis qui ad Dominum convertitur, contemplativam vitam desiderat, quietem aeternae patriae appetit; sed prius necesse est ut in nocte vitae praesentis operetur bona quae potest, desudet in labore, id est Liam accipiat, ut post ad videndum principium in Rachel amplexibus requiescat. **1327** Erat autem Rachel videns, sed sterilis; Lia vero lippa, sed fecunda; Rachel pulchra et infecunda, quia contemplativa vita speciosa in animo est, sed dum quiescere in silentio appetit, filios non generat ex praedicatione. Videt et non parit, quia dum quietis suae studium diligit, minus se in aliorum collectione succendit; et quantum introrsus conspicit, aperire aliis praedicando non sufficit. Lia vero lippa et fecunda est, quia activa vita, dum occupatur in opere, minus videt, sed dum modo per verbum, modo per exemplum ad imitationem suam proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Et si in contemplatione mentem tendere non valet, ex eo tamen quod agit exterius, gignere sequaces valet. Recte ergo in mensura calami prius sex cubiti, et postmodum palmus dicitur, quia ante activa agitur, ut ad contemplativam postmodum veniatur.

11. Sed sciendum est quia sicut bonus ordo vivendi est ut ab activa in contemplativam tendatur, ita plerumque utiliter a contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Debet ergo nos activa ad contemplativam transmittere, et aliquando tamen ex eo quod introrsus mente conspeximus contemplativa melius ad activam revocare. Unde et idem Jacob post Rachelis amplexus ad Liae rediit, quia et post visum principium laboriosa vita boni operis non est funditus deserenda.

12. Est autem in contemplativa vita magna mentis contentio, cum sese ad coelestia erigit, cum in rebus spiritalibus animum tendit, cum transgredi nititur omne quod corporaliter videtur, cum sese angustat ut dilatetur. Et aliquando quidem vincit, et reluctantes tenebras suae caecitatis exsuperat, ut de incircumscripto lumine quiddam furtim et tenuiter attingat; sed tamen ad semetipsam protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce, ad quam respirando transiit, ad suae caecitatis tenebras suspirando rediit. Quod bene sacra historia designat, quae beatum Jacob cum angelo luctatum narrat. Cum enim ad parentes proprios rediret, in via angelum invenit, cum quo in luctamine magnum certamen habuit **(Genes. XXXII, 24)**. Is enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando vero eum cum quo contenderit inferiorem invenit. Designat ergo angelus Dominum, et Jacob qui cum angelo contendit uniuscujusque perfecti viri et in contemplatione positi animam exprimit. Quae videlicet anima cum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo de incircumscripto lumine aliquid

degustat; modo vero succumbit, quia et degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus.

1328 13. Sed notandum quod idem victus angelus nervum femoris Jacob tetigit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo tempore Jacob uno claudicavit pede, quia scilicet omnipotens Deus cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, et Deum videbamur quaerere, et saeculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei unus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat, quia necesse est ut, debilitato amore saeculi, solus convalescat in nobis amor Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat soli illi pedi innititur quem sanum habet, quia cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet. Et in ipso stat, quia pedem amoris saeculi quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat. Et nos ergo si ad parentes proprios, id est ad spiritales patres redimus, teneamus in via angelum, ut suavitate intima apprehendamus Deum. Contemplativae etenim vitae amabilis valde dulcedo est, quae super semetipsam animam rapit, coelestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, et spiritalia mentis oculis patefecit, corporalia abscondit. Unde bene Ecclesia in Canticis canticorum dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat* **(Cant. V, 2)**. Vigilanti etenim corde dormit, quia per hoc quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit.

14. Sed inter haec sciendum est quia quandiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refota pronciat, et post ad visionis ejus gloriam pertingat. Sic namque Isaias cum se Dominum vidisse fateretur, dicens: *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum,* protinus adjunxit: *Et ea quae sub eo erant implebant templum* **(Isai. VI, 1)**. Quando Ozias rex superbus ac praesumptor moritur, Dominus videtur, quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contemplatur. Et notandum quod Dominus super solium excelsum et elevatum sedet. Quid namque est ejus solium, nisi creatura angelica vel humana, cui per intellectum quem dedit praesidet? Quod videlicet solium excelsum et elevatum dicitur, quia et natura humana ad coelestem gloriam elevata proficit, et creatura angelica dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in coelo ne cadat, inde elevata est unde et confirmata. Templum vero ejus hoc est quod solium, quia aeternus Rex ibi habitat ubi sedet. **1329** Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea quae sub eo erant implebant templum, quia quidquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob angelum vidit, et vidisse se Dominum fatetur **(Genes. XXXII, 30)**, quia cum ministeria ejus conspicimus, jam multum est quod super nosmetipsos levamur. Notandum vero quod dicitur: *Implebant templum,* quoniam etsi angelus apparet, infirmae tamen mentis desiderio satisfacit, ut si adhuc majus non potest, jam

tamen minus quod videt admiretur. Ea ergo quae sub eo sunt implent templum, quia, sicut dictum est, et cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse est, sed id quod sub ipso est contemplatur. In qua videlicet contemplatione jam quietis internae gustus contingitur. Cujus quia quaedam quasi pars est, et perfecta nunc esse non potest, recte in Apocalypsi scriptum est: *Factum est silentium in coelo, quasi media hora* **(Apoc. VIII, 1)**. Coelum quippe est anima justi, sicut per prophetam Dominus dicit: *Coelum mihi sedes est* **(Isai. LXVI, 1)**. Et, *Coeli enarrant gloriam Dei* **(Psal. XVIII, 1)**. Cum ergo quies contemplativae vitae agitur in mente, silentium fit in coelo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia haec quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in coelo silentium dicitur, sed quasi media hora, ut neque ipsa media hora plene sentiatur, cum praemittitur *quasi,* quia mox ut se animus sublevare coeperit, et quietis intimae lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, et confusus caecatur. Vita igitur contemplativa quae illic hora quasi media dicitur, apud Ezechielem prophetam non cubitus, sed palmus appellatur. Ecce, fratres charissimi, dum uniuscujusque vitae causas exprimere cupimus, paulo latius per excessum locuti sumus. Sed bonis mentibus, quibus utraque eadem vita est ad agendum amabilis, esse non debet ad audiendum gravis. Sequitur:

IBID.---*Et mensus est latitudinem aedificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.*

15. Omnipotens Deus, qui nec in magnis tenditur, nec in minimis angustatur, sic de tota simul Ecclesia loquitur ac si de una anima loquatur. Et saepe quod ab eo de una anima dicitur nil obstat si de tota simul Ecclesia intelligatur. Latitudo itaque aedificii ad charitatem pertinet, de qua Psalmista dicit: *Latum mandatum tuum nimis* **(Psal. CXVIII, 96)**. **1330** Nil enim latius quam omnes in sinu amoris recipere, et nullas odii angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, ut in amplitudine dilectionis suae capere etiam inimicos possit. Unde et praecipitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos* **(Luc. VI, 27)**. Considerandum quoque nobis est quia latitudo in aequalitate, altitudo vero in sublimitate tenditur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi, altitudo ad intelligentiam conditoris. Sed latitudo et altitudo aedificii uno calamo mensuratur, quia videlicet unaquaeque anima quantum lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem juxta dilatat, per cognitionem se superius exaltat; et tantum super semetipsam excelsa fit, quantum se juxta se in proximi amorem tendit. Et quia aedificium quod inhabitat Deus ex angelica simul et humana natura perficitur, per hoc quod angelica creatura sursum est, et humana adhuc deorsum, potest per latitudinem atque altitudinem aedificii utraque haec creatura significari, quia ista adhuc in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed uno calamo mensuratur utraque, quia humilitas hominum quandoque ad aequalitatem perducitur angelorum. Unde scriptum est: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo* **(Matth., XXII, 30)**. Et unde per Joannem dicitur: *Mensura hominis quae est angeli* **(Apoc. XXI, 17)**. Quia usque ad illam altitudinem gloriae homo perducitur, in qua solidatos se angeli

laetantur. Latitudo ergo aedificii tanta est, quanta et altitudo, quia electi quique qui modo in imis laborant, quandoque illis beatissimis spiritibus non erunt inaequales.

Sed nos inter haec redeamus ad mentem, ac totis medullis cordis Deum diligamus et proximum. Dilatemur in affectu charitatis, ut exaltemur in gloria celsitudinis. Compatiamur per amorem proximo, ut conjungamur per cognitionem Deo. Condescendamus fratribus minimis in terra, ut coaequemur angelis in coelo, quia vir qui sua imagine Redemptorem signat, mensus est latitudinem aedificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. Nunc igitur metitur mores, pensat opera, cogitationes considerat, ut sine fine postmodum retributionem reddat Jesus Christus Unigenitus Patris, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III. *In trium versuum explicatione potissimum describitur Ecclesiae aedificium ex omnibus sub utroque Testamento justis constructum.*

1. Vir cui calamus mensurae in manu esse describitur.

EZECH. XL, 6.---*Venit ad portam quae respiciebat ad viam Orientalem.*

Quis vero alius portae hujus appellatione signatur, nisi ipse Dominus ac Redemptor noster, qui nobis janua factus est regni

coelestis? Sicut ipse ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* **(Joan. XIV, 6)**. Sed cum eumdem virum lineis indutum figuram Domini tenere dixerimus, quaerendum nobis est qua ratione conveniat ut idem Dominus et per virum designari valeat, et per portam, dum vir veniat **1331** ad portam? Nunquidnam ipse venit ad semetipsum? An ita est, quia et in Evangelio ipse testatur, dicens: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* **(Joan. X, 1, 2)**. Et paulo post dicit: *Ego sum ostium* **(Ibid., 9)**. Atque iterum subjungit: *Ego sum pastor bonus* **(Ibid., 14)**. Si ergo pastor intrat per ostium, et ipse est ostium, ipse pastor, ipse procul dubio intrat per semetipsum. Ecce dum Ezechielis sensum enodare cupimus, de Evangelio etiam quaestionem ligamus. Quaerendum nobis itaque est qualiter et ipse intret, et per semetipsum intret. Dominus enim ac Redemptor noster, cum sancta Ecclesia, quam redemit, secundum carnem una substantia est, Paulo attestante qui ait: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia* **(Coloss. I, 24)**. Hujus capitis corpus Ecclesia est, et hujus corporis caput Christus **(Ephes. I, 22)**. De quo suo capite exsultat corpus, id est sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit: *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos* **(Psal. XXVI, 6)**. Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in coelis. Cum ergo electi quique ad vitam perveniunt, quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput ad quod intrantia membra perveniunt. Quod Ezechiel propheta multipliciter insinuat, qui virum venisse dicit ad portam, et quae eadem porta sit ostendit, dicens: *Quae*

respiciebat ad viam Orientalem. Ipse etenim nobis est via, qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita* **(Joan. XIV, 6)**. Ipse etiam Orientalis via, de quo scriptum est: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* **(Zach. VI, 12)**. Porta ergo viam Orientalem respicit, quia illum signat qui nobis iter ad ortum fecit luminis.

2. Potest etiam portae nomine unusquisque praedicator intelligi, quia quisquis nobis januam regni coelestis ore suo aperit porta est. Unde et duodecim portae vel in Joannis Apocalypsi **(Apoc. XXI, 21)**, vel in extrema hujus prophetae visione describuntur. Potest etiam portae nomine Scripturae sacrae scientia non inconvenienter intelligi, quae, dum nobis intellectum aperit, coelestis regni januam pandit. Possumus portae nomine et fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad virtutum aedificia intremus. Unde hic aperte subjungitur:

IBID.---*Et ascendit per gradus ejus.*

3. Quid enim gradus sunt hujus portae, nisi merita virtutum? Sive enim in cognitione Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, seu in scientia divini eloquii, seu in ipsa fide quam de illo accepimus, quibusdam gradibus ad altiora incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. De his gradibus per Psalmistam dicitur: *Deus in gradibus ejus dignoscetur dum suscipiet eam* **(Psal. XLVII, 4)**. Dum enim sanctam Ecclesiam Dominus suscipit **(De poenit., dist. 2, c. Cum sanctam)**, in gradibus ejus dignoscitur, quia ejus gloria per illius incrementa declaratur. Quantum enim sancta Ecclesia ascendendo profecerit, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus **1332** innotescit. De his quoque gradibus beatus Job loquitur, dicens: *Per singulos*

gradus meos pronuntiabo illum **(Job. XXXI, 37)**. Omnipotentem quippe Dominum per singulos gradus suos pronuntiat, qui per incrementa virtutum quae accipit ei semper laudem suae pietatis reddit. Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret: *Ambulabunt de virtute in virtutem* **(Psal. LXXXIII, 8)**.

4. Nec mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud provectus, aliud perfectio. Si enim ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti apostoli minime dixissent: *Adauge nobis fidem* **(Luc. XVII, 5)**. Et quidam venit ad Jesum, qui curari voluit filium suum, sed requisitus an crederet, respondit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* **(Marc. IX, 24)**. Pensate, rogo, quod dicitur. Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiae meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat simul et credebat et incredulus erat.

5. Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo semen in terram, et dormiat, et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primum herbam deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis* **(Marc. IV, 26, seq.)**. Semen homo jactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit dormit,

quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exsurgit ac die, inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat et crescit, dum nescit ille, quia et cum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad provectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia, praeveniente se gratia, mens hominis spontanee ad fructum boni operis assurgit. Sed haec eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est inchoationis bonae adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum autem frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. At cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, et messem suam desecat, quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad coelestia horrea perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cum autem ad provectum boni operis crescimus, **1333** ad spicam pervenimus. Cumque in ejusdem boni operis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus.

6. Herba etenim Petrus fuerat, qui, passionis tempore, per amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante ancillae vocem timebat **(Luc. XXII, 57)**. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemptorem, sed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Jam in spicam surrexerat quando eum quem moriturum confiteri timuerat,

nuntiante Angelo, in Galilaea viventem videbat. Sed tunc plenum granum in spicam pervenerat, quando, veniente desuper Spiritu, et suam mentem in illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium caesus despiceret, et Redemptorem suum libere inter flagella praedicaret **(Act. V, 29)**. Nullus itaque qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat. Vir ergo vestitus lineis, venit ad portam, quia Dominus ac Redemptor noster membris suis intrantibus perducitur ad se. Et ascendit per gradus ejus, quia, nobis proficientibus, eo nobis amplius exaltatur, quo altus et incomprehensibilis esse cognoscitur. In virtutum quippe nostrarum gradibus ipse ascendere dicitur, quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quanto noster animus a rebus infimis separatur. Sequitur:

IBID.---*Et mensus est limen portae calamo uno in latitudinem, id est limen unum calamo uno in latitudinem.*

7. Cur postquam dictum est, *Limen portae,* statim subjungitur, *Limen unum,* nisi quia aperte innuit quod adhuc inferius limen aliud dicatur? Porta autem a limine surgit ut porta sit. Si igitur porta Dominus, quis hujus portae limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est? Sicut per Paulum dicitur: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* **(Rom. IX, 5)**. Notandum vero est in hac Pauli sententia quod dii et caeteri hominum sunt vocati, sicut Moysi dicitur: *Ponam te in deum Pharaoni* **(Exod. VII, 1)**. Et per Psalmistam dicitur: *Ego dixi, dii estis* **(Psal. LXXXI, 6)**. Et rursum: *Deus stelit in synagoga deorum* **(Ibid. 1)**. Sed aliud est nuncupative, aliud naturaliter dici Deum. Et si

Moyses in deum Pharaoni est positus, sed deus intra omnia, non deus super omnia dicitur. Qui vero est intra uterum Virginis incarnatus, Deus super omnia vocatur. Itaque limen portae sunt antiqui patres, ex quibus ille natus est qui nobis aditum regni coelestis aperuit. Limen autem portae uno calamo mensuratur, quia ipsi antiqui patres, qui potuerunt Redemptorem nostrum et prophetando et bene vivendo praedicare, tanquam sex cubitos in perfectione operis, et palmum in inchoatione contemplationis habuerunt. Quia enim eorum vitam in unitatem fidei et perfecta operatio, et inchoata contemplatio sublimem reddidit, in uno calamo mensura liminis fuit. Sequitur:

VERS.---*Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum.*

8. Consideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hoc quod in sancta Ecclesia agitur colligamus. In thalamo quippe sponsus et sponsa foederantur, **1334** sibique in amore junguntur. Quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quae in mundo sunt concupiscat, praesentis vitae longitudinem poenam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in coelestis sponsi visione requiescere? Mens itaque, quae jam talis est, nullam praesentis vitae consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris; unde et in Canticis canticorum dicit: *Vulnerata charitate ego sum* **(Cant. II, 5, sec. LXX)**. Mala autem salus est cordis, quae dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare jam in

coeleste desiderium et sentire vulnus amoris coeperit, fit anima salubrior ex vulnere, quae prius aegrotabat ex salute.

9. Menti autem sponsum suum fortiter amanti, de mora vitae praesentis una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur, aliorum animae ejus verbo proficiant, et ad coelestem sponsum amoris facibus inardescant. Moeret, quia differri se conspicit; triste est ei omne quod aspicit, quia illum adhuc non videt, quem videre concupiscit. Sed est, ut dixi, non parva consolatio, si cum fervens anima differtur, per eam multae colliguntur, ut tarde eum cum multis videat, quem sola videre citius volebat. Unde rursus in Cantico canticorum sponsa dicit: *Fulcite me floribus, et stipate me malis, quia amore langueo* **(Cant. II, 5)**. Quid namque sunt flores nisi animae bonum jam opus inchoantes et desiderium coeleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectae jam bonorum mentes, quae ad fructum perveniunt boni operis de initio sanctae propositionis? Quae ergo amore languet, fulciri quaerit floribus, et stipari malis, quia si illum quem desiderat, videre adhuc non permittitur, magna est ei consolatio si de aliorum provectibus laetetur. Anima ergo sancto amore languida, floribus malisque fulcitur, ut requiescat in bono opere proximi, quae adhuc contemplari non valet vultum Dei.

10. Pensemus, rogo, qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* **(Philip. I, 21)**; omnipotenti Deo in quantum se amore conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, et mori lucrum esse deputabat? Hinc est quod iterum dicit: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse multo magis melius* **(Ibid., 23)**. Sed ecce qui dissolvi desideras quo amore langueas videamus. Quia interim differri te conspicis, fulciri quaeso floribus non

requiris? Quaeris plane, nam sequitur: *Permanere autem in carne necessarium propter vos* **(Ibid. 24)**. Et proficientibus discipulis dicit: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum?* **(I Thess. II, 19.)**

11. Hinc est quod idem thalamus uno calamo in longum, et uno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo unusquisque thalamus habet in longitudinem, quantum et in latitudinem habere potuerit, quia mens coelesti desiderio succensa, quantum amorem habuerit ad colligendum proximum, **1335** tantum et longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis, quia se in provectu proximi dilatat amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem patientiae quae exhibetur proximo designare. Et quia latitudo charitatem signat, quae sinum mentis aperit, et amicos simul atque inimicos in amorem recipit, tanta est longitudo thalami, quanta latitudo, quia quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit et patiens per longanimitatem. Nam tantum quisque portat proximum quantum amat. Si enim amas, portas; si desistis amare, desistis tolerare. Quem enim minus diligimus, minus etiam toleramus, quia, irruente fastidio, citius facta proximi adducuntur in gravedinem ponderis quae nobis non levigat penna charitatis. Sequitur:

IBID.---*Et inter thalamos, quinque cubitos.*

12. Unum supra thalamum dixerat, et postmodum quinque cubitos esse inter thalamos narrat: ea videlicet ratione qua

multi thalami unum faciunt, sicut et multae Ecclesiae una Ecclesia vocatur. Unde et in Joannis Apocalypsi septem Ecclesiis scribitur, per quas una catholica designatur. Hi itaque qui in sancta Ecclesia, sicut diximus, ferventi amore Deum videre sitiunt, eique jam per desiderium conjunguntur, thalami vocantur. Sed tamen sunt in ea quidam qui penetrare subtilia non valentes, et quinque adhuc corporis sensibus depressi, tanto minus amant eum qui fecit omnia, quanto amplius in his quae facta sunt illigantur. Et jam quidem exercere se in timore Domini, et amore proximi tendere student, bona opera corporaliter agere, eleemosynis peccata redimere; sed quia amore intimo ardere ad coeleste desiderium nesciunt, quasi adhuc devincti corporeis sensibus tenentur. Isti itaque thalami non sunt, sed tamen inter thalamos continentur, quia per eorum ducatum qui visionem Dei perfecte diligunt, et ipsi ad provectum mentis diriguntur. Inter thalamos ergo quinque sunt cubiti, quia hi qui ab exterioribus quinque sensibus adhuc ad intellectum mysticum non assurgunt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris fervent, velut manentes inter thalamos in fidei constructione proficiunt, et a mensura coelestis aedificii disjuncti non sunt. Nam et paulisper se ab appetitu corporalium sensuum subtrahunt, et dilatato mentis spatio, imitantes charitatem quam conspiciunt, hinc inde ad thalamos extenduntur. Quod ergo non per sex cubitos, sed per quinque descripti sunt, ipsa adhuc eorum imperfectio designatur.

13. Sed tamen per bonum desiderium in mensura spiritalis aedificii esse memorantur, quia et voce sanctae Ecclesiae per Psalmistam dicitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* **(Psal. CXXXVIII, 16)**. Hinc

iterum idem Psalmista dicit: *Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum majoribus* **(Psal. CXIII, 13)**. Hi itaque etsi imperfecti sunt et pusilli; in quantum tamen cognoscere praevalent, et Deum et proximum diligunt, atque ideo bona quae possunt non negligunt operari. Qui etsi necdum ad spiritalia dona proficiunt, ut vel ad perfectam operationem, vel ad succensam contemplationem animam exerant, tamen ab amore Dei **1336** et proximi, in quantum animo capere praevalent, non recedunt. Unde fit ut ipsi quoque etsi minori loco, in sanctae tamen Ecclesiae aedificatione sint positi, quia et si ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exsequendum fortasse minores sunt, tamen in timoris et amoris fundamento sunt, in quo solidantur, quia etsi igne coelestis desiderii non ardent, in ipsis exterioribus quae exercere sufficiunt vapore charitatis animantur, et inter proximorum praecellentium aedificia continentur. Unde et recte sponsa in Canticis canticorum loquitur, dicens: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Jerusalem* **(Cant. III, 9, 10)**. Neque enim credendum est Salomonem tantae magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis affluebat, ut pondus auri ejus aestimari non posset, et argentum in diebus illis pretium non haberet, quia ferculum sibi ligneum fecit. Sed est Salomon videlicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina valde sunt imputribilia.

14. Ferculum itaque Regis nostri sancta Ecclesia est, quae de fortibus patribus, id est de imputribilibus mentibus est constructa. Quae recte ferculum dicitur, quia ipsa fert

quotidie animas ad aeternum convivium conditoris sui. Cui ferculo columnae argenteae factae sunt, quia praedicatores Ecclesiae sanctae eloquii luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sanctis praedicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis intimae, in qua reclinentur, inveniunt. Per hoc enim quod luculente et aperte audiunt, in illud quod clarescit in corde requiescunt. Columnae ergo ejus argenteae et reclinatorium aureum factum est, quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Ille quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi praedicationis gratia non quaeratur. De eadem quippe sancta Ecclesia scriptum est: *Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in specie auri* **(Psal. LXVII, 14)**. Quae enim hic spiritu mansuetudinis impleta quasi columba pennas deargentatas habet, in posteriora dorsi ejus speciem auri continet, quia hic praedicatores suos sermonis luce induit; in posteriori autem saeculo fulgorem in se claritatis ostendit. Sed ad hoc quod clarum intus ostenditur, qualis sit ascensus adjungit, cum de eodem ferculo protinus subdit: *Ascensum purpureum* **(Cant. III, 10)**. Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur, non immerito in colore sanguinis videtur. Et quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiae per martyrii sanguinem pervenit ad regnum, Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum quod intus aspicitur per tribulationem sanguinis pervenitur.

15. Quid ergo nos miseri atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnae esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen

emicat praedicationis. Reclinatorium aureum non habemus, **1337** quia necdum sicut oportet per intellectum spiritalem requiem internae claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? Quae spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis virtutibus praeditus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus in quantum possumus Deum, diligamus et proximum, et simul quoque nos ad Dei ferculum pertinemus, quia sicut illic scriptum est: *Media charitate constravit.* Habe quippe charitatem, et ibi sine dubio pervenis, ubi et columnae argenteae eriguntur, et ascensus purpureus tenetur. Nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur, cum illic protinus subdidit: *Propter filias Jerusalem.* Sermo etenim Dei qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum quam mentium infirma signavit? Quod ergo illic inter columnas argenteas, reclinatorium aureum, et ascensum purpureum, inesse media charitas dicitur propter filias Jerusalem; hoc hic inter thalamos per quinque cubitos designatur, quia et qui in virtutibus infirmantur, si ipsi bona quae possunt facere cum charitate non negligunt, a Dei aedificio alieni non sunt. Sequitur:

IBID.---*Et limen portae juxta vestibulum portae intrinsecus, calamo uno.*

16. Dum limen quod modo describitur juxta vestibulum portae intrinsecus esse memoratur, aperte ostenditur quia limen quod prius descriptum est extrinsecus fuit. Sed si porta est Dominus, quod sit limen portae intrinsecus et extrinsecus requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur.

Et quae sunt duo haec limina, nisi patres Testamenti Veteris, et patres Testamenti Novi? Non solum quippe hi de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes Testamenti Veteris patres portae hujus limen fuerunt, quia hi qui eum praedicere et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei; et omnes qui per hos crediderint Dominum, quasi jam portam hujus liminis intraverunt. Sed cur ante limen exterius et post limen interius dicitur, nisi quia prius Testamenti Veteris patres, et postmodum Novi Testamenti doctores fuerunt? Recte autem limen exterius Testamenti Veteris patres designat, quia per eorum praedicationem opera perversa punita sunt. Per dicta vero novorum patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt; isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde et ipsa Veritas loquitur dicens: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* **(Matth. V, 21, 22)**. Recte quoque exterius limen illos patres **1338** designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt. Et quidem ab Abel sanguine passio jam coepit Ecclesiae, et una est Ecclesia electorum praecedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur: *Multi reges et prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt* **(Luc. X, 24)**; antiquis patribus quasi foris stetisse est, Redemptoris nostri praesentiam corporaliter non vidisse. Exterius igitur,

sed tamen non divisi a sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, praedicatione, ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctae Ecclesiae celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc praestolando, sed jam habendo conspicimus. Sicut enim nos in praeterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura sunt salvati. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus.

17. Unde et in constructione tabernaculi, ut columnae argenteae interius starent, paxilli aerei figi per circuitum exterius jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnae itaque argenteae interius, paxilli vero aerei exterius figuntur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut tabernaculum fixum maneret, quia videlicet ut sancti apostoli in luce sermonis sui solidi starent, ut totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia in fidei integritate consisteret, tanquam paxilli aerei patres Testamenti Veteris ac prophetae exterius fixi sunt, qui verborum suorum funibus praedicatorum mentes in soliditate stringerent, atque hoc Dei habitaculum in statu fidei ligarent. Extra ergo paxilli sunt, qui ante tempus hujus sanctae Ecclesiae fuerunt. Sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt, quia dum coelestia mysteria ventura praedicant, haec postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnae immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia ut sancti apostoli perfecte incarnationis dominicae mysterium crederent, illorum praedicatio obtinuit, qui hoc priusquam fieret, et videre et praedicere potuerunt. Unde recte quoque ipse primus apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* **(II**

Petr. I, 19). Quibus verbis indicat quia quamvis ad altiora surrexerit ex culmine, ibi religata persistat in fide. Quae tamen lucerna prophetici sermonis jam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de eisdem dictis prophetarum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* **(Psal. XVII, 12)**, quia videlicet occulta est scientia in prophetis. Nec immerito columnae argenteae, paxilli vero aerei facti sunt, quia quod clare jam apostoli praedicant, hoc prophetae sub intellectu mystico obscure locuti sunt. Recte ergo per aeris metallum signati sunt, qui clari in suis praedicationibus non fuerunt. Sancti vero apostoli, quia de Redemptoris nostri mysterio lucem praedicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum, **1339** quod argentum sonat et lucet, aes vero sonat et non lucet, quia praedicatores Novi Testamenti aperte locuti sunt quae etiam monstrare potuerunt. Praedicatores vero Testamenti Veteris quia per allegoriarum umbras de coelesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt. Quod ergo illic per paxillos et columnas, hoc hic per limen exterius et limen interius designatur.

18. Si vero portam Scripturam sacram hoc in loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet, exterius et interius, quia in litteram dividitur et allegoriam. Limen quippe Scripturae sacrae exterius, littera; limen vero ejus interius, allegoria. Quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine quod est exterius, ad hoc quod est interius venimus. Et sunt in ea permulta, quae ita juxta litteram mentem aedificant, ut per hoc quod exterius agitur audientis mens interius trahatur. Ibi quippe invenimus praedicamenta operis ex exempla virtutis;

ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus; ibi hoc quod ad operandum praecipitur in sanctorum virorum ac fortium actione monstratur, ut postquam nos apertiora praecepta atque exempla justorum ad bonam operationem instruunt, tunc ad limen interius, id est ad intellectum mysticum intimae contemplationis, tendamus, si possumus, pedem mentis. Studete, quaeso, fratres charissimi, Dei verba meditari, nolite despicere scripta nostri Redemptoris, quae ad nos missa sunt. Multum valde est quod per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suae frigore torpescat.

19. Cum illa praecedentes justos fortiter egisse cognoscimus, et ipsi ad fortitudinem bonae operationis accingimur, sanctorum exemplorum flamma animus legentis incenditur. Videt quae fortia ab eis facta sunt, et valde indignatur sibi, quia talia non imitatur. Unde recte sponsi voce ad sponsam dicitur in Canticis canticorum: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis suis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* **(Cant. IV, 4)**. In collo etenim guttur, in gutture vox est.

20. Quid ergo per collum sanctae Ecclesiae, nisi sacra ejus eloquia designantur? In qua dum mille clypei dependere memorantur, per hunc perfectum numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt praecepta Dei, ibi exempla justorum. Si enim torpet animus a conditoris sui desiderio, audiat quod dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* **(Matth. XXII, 37)**. In odio fortasse labitur proximi? Audiat quod dicitur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum* **(Ibid., 39)**. Res alienas concupiscit? Audiat quod illic scriptum est: *Non concupisces*

rem proximi tui **(Exod. XX, 17)**. De injuria quae a proximi ore vel facto illata est, ad iram mens accenditur? Audiat quod dicitur: *Non quaeres ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum* **(Levit. XIX, 18)**. In carnis concupiscentiam male sauciata mens accenditur? Ne sequatur oculus mentem, audiat quod paulo superius dictum est : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,* **1338** *jam moechatus est eam in corde suo* **(Matth. V, 28)**. Contra inimicum forsitan quisquam animum suum relaxare disponit in odium? Audiat quod illic scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* **(Luc. VI, 35)**. Sed is qui aliena jam non rapit, adhuc forsitan sua inordinate retinet? Audiat quod illic dicitur: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam* **(Ibid., XII, 33)**. Infirmantis animus perfrui desiderat Deo simul et saeculo? Audiat quod illic scriptum est: *Nemo potest duobus dominis servire* **(Matth. VI, 24)**. Alius non ad necessitatem stipendii, sed ad voluntatem desiderii possessa retinet? Audiat quod illic dicitur: *Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest esse meus discipulus* **(Luc. XIV, 33)**. Quidam enim relinquunt omnia, multi autem etiam possidendo renuntiant, quia sic ad usum possessa retinent, ut eis ex desiderio non succumbant. Torpere quisquam appetit, et laborem subire pro Domino etiam cum praevalet refugit? Audiat quod illic scriptum est: *Qui mecum non colligit, spargit* **(Ibid. XI, 23)**. In collo ergo Ecclesiae, id est in sacri eloquii praedicatione, quod pro sua munitione et altitudine turri David simile dicitur, mille clypei dependent, quia quot illic praecepta sunt, tot etiam pectoris nostri munimina.

21. Ad servandam itaque innocentiam etiam laesi a proximo perdurare in humilitate festinamus? Abel ante oculos

veniat **(Genes. IV, 8)**, qui et occisus a fratre scribitur, et non legitur reluctatus. Mentis munditia etiam in conjugali copula eligitur? Enoch debet imitari, qui et in conjugio positus ambulavit cum Deo, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus **(Ibid., V, 22)**. Praecepta Dei festinamus praesenti nostrae utilitati praeponere? Noe ante oculos veniat, qui, cura domestica postposita, ex jussione omnipotentis Domini, per centum annos ad arcae fabricam vixit occupatus **(Ibid., VI, 14)**. Subire obedientiae virtutem nitimur? Aspicere Abraham debemus **(Ibid., XII, 5)**, qui, relicta domo, cognatione, patria, obedivit exire in locum quem accepturus erat in haereditatem, et exiit nesciens quo iret **(Hebr. XI, 8)**; qui paratus exstitit ut pro aeterna haereditate dilectum quem acceperat occideret haeredem. Et quia unicum Domino offerre non distulit, universam multitudinem gentium in semine accepit **(Genes. XXII, 16, 17)**. Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis vitae suae tranquillitas ornavit **(Ibid., XXIV, seq.)**. Laboriosa fortitudo, ut obtineri debeat, quaeritur? Jacob ad memoriam deducatur **(Ibid., XXIX, 20; XXX, 29)**, qui postquam scivit fortiter servire homini, ad eam quoque virtutem perductus est, ut non potuisset a luctante angelo superari **(Ibid., XXXII, 25)**. Conamur carnis illecebram vincere? Joseph ad memoriam redeat, qui, tentante se domina, studuit carnis continentiam etiam cum vitae periculo custodire **(Ibid., XXXIX, 12, 20)**. Unde factum est ut quia membra sua bene noverat regere, regendae quoque omni Aegypto praeficeretur. Mansuetudinem atque patientiam obtinere quaerimus? Moysen ante oculos deducamus **(Num. XII, 3)**, qui, exceptis parvulis ac mulieribus, sexcenta millia

armatorum regens, mitis fuisse describitur super omnes homines qui habitabant super faciem orbis terrae. Rectitudinis zelo contra vitia accendimur? Phinees ante oculos deducatur **(Ibid., XXV, 7, 8, 11)**, qui coeuntes gladio **1339** transfigens, castitati populum reddidit, et iram Dei iratus placavit. De spe omnipotentis Dei praesumere in dubiis quaerimus? Josue ad memoriam revocemus **(Josue III, 5, 8)**, qui, dum dubia certamina certa mente subiit, ad victoriam sine dubietate pervenit. Jam mentis inimicitias ponere cupimus in benignitate animum dilatare? Samuel in cogitationem deducatur **(I Reg. VIII, 5)**, qui, de principatu dejectus a populo, cum idem populus peteret ut pro eo Domino preces effunderet, respondit dicens: *Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis* **(Ibid., XII, 23)**. Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis quos adversarios pertulerat usque ad dejectionem, benignitatem gratiae non reddidisset in prece. Qui rursus, cum, jubente Domino, mitteretur ut David ungeret in regem, respondit: *Quomodo vadam? Inveniet enim me Saul, et occidet me* **(Ibid., XVI, 2)**. Et tamen quia iratum Deum eidem Sauli cognoverat, in tanto se luctu afflixerat, ut ei per se Dominus diceret: *Quousque tu Saulem luges, cum ego illum abjecerim* **(Ibid., 1)**? Pensemus ergo ejus animum quantus ardor charitatis incenderat, qui et illum flebat a quo timebat occidi. Cavere autem volumus quem timemus? Sollicita nobis mente pensandum est, ne si locum fortasse reperimus, malum pro malo reddamus ipsi quem fugimus. David ergo ad memoriam redeat, qui persequentem se regem et invenit ut potuisset occidere, et tamen, in ipsa feriendi potestate positus, elegit bonum quod ipse deberet facere, non autem malum quod ille merebatur pati, dicens: *Absit a me ut mittam manum*

meam in christum Domini **(Ibid., XXIV, 7; XXVI, 11)**. Et cum idem Saul post ab hostibus fuisset interemptus, eum, quem persecutorem dum viveret pertulit, flevit occisum **(II Reg. I, 17)**. Errantibus hujus mundi potentibus libere loqui decernimus? Joannis auctoritas ad animum reducatur, qui, Herodis nequitiam reprehendens, pro verbi rectitudine occidi non timuit **(Marc. VI, 18, 27)**. Et quia Christus est veritas, ipse ideo pro Christo, quia pro veritate, animam posuit. Carnem jam nostram pro Deo ponere in morte festinamus? Petrus ad mentem veniat **(Act. V, 41)**, qui inter flagella gaudet, qui caesus principibus resistit, qui vitam suam pro vita despicit. Cum mortis appetitu disponimus adversa contemnere? Paulum ante oculos deducamus, qui non solum alligari, sed et mori paratus pro Christo, non facit pretiosiorem animam suam quam se **(Act. XX, 22, 24)**. Succendi cor nostrum igne charitatis quaerimus? Joannis verba pensemus, cujus omne quod loquitur charitatis igne vaporatur **(I Joan. I, seqq.)**.

22. Quia ergo in voce sacri eloquii cujuslibet dum quaerimus munimen virtutis invenimus, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium **(Cant. IV, 4)**. Si enim pugnare contra spiritalia nequitiae volumus, in collo Ecclesiae, quae nobis sicut David turris erecta est, id est in divino eloquio protectionis arma requiramus, ut ex discretione praecepti, contra vitia sumatur virtus adjutorii. Ecce enim contra aereas potestates festinamus fortes existere? In hac turri armaturam nostrae mentis invenimus, ut inde praecepta conditoris, inde sumamus exempla praecedentium, per quae contra adversarios nostros **1340** inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, et hanc illic a patribus

jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritalia bella muniaris. Dependent in ea quippe mille clypei: si quis pugnare appetit, assumat, et ex ea virtute pectus muniat, et verborum jacula emittat.

23. Et notandum quia aedificata cum propugnaculis suis dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula, quod clypei, quia utraque pugnantem muniunt. Sed inter utraque hoc distat, quia clypeum pro nostro munimine ubicunque volumus movemus; propugnaculo autem defendere nos possumus, sed hoc movere non possumus. Clypeus in manu est, nam propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula et clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio patrum praecedentium et miracula legimus, et virtutes bonorum operum audimus? Ibi namque cognoscimus quod alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, alius umbra aegrotos curare, alius per sua semicinctia febribus obviare **(Act. XIX)**. Qui tamen omnes et patientiae longanimitate mites, et zelo rectitudinis ferventes fuerunt; verbi praedicatione divites, simul et misericordiae largitate. Hi itaque quam vera de Deo dixerint testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent. Et quam pii, quam humiles, quam benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum praedicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, et in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia et muniri per illa possumus, et tamen haec in manu nostri arbitrii non tenemus, nam talia facere non valemus. Clypeus vero in manu est, et defendit, quia virtus patientiae, virtus misericordiae, praecedente nos

gratia, et in potestate est arbitrii, et a periculo protegit adversitatis. Turris itaque nostra cum propugnaculis suis aedificata est, in qua mille clypei dependent, quia in Scriptura sacra et sub miraculis patrum a jaculis adversitatis abscondimur, et conversationis sanctae munimina etiam in manu operis tenemus. Notandum vero quod limen portae uno calamo mensuratur. Calamus autem in sex cubitis et palmo tenditur, quia videlicet in Scriptura sacra et doctrina perfectae operationis et initium supernae contemplationis invenitur. Sin vero porta hoc loco unusquisque praedicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen vero interius vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide, per hanc vero festinatur ad speciem. Illa exterius ducit, ut unusquisque bene vivere debeat; ista interius perducit, ut ex bona vita ad gaudia aeterna pertingat. Haec nos hodie tractasse sufficiat. Quia enim, transeuntes ad alia, diu per excessum locuti sumus, ea quae subjuncta sunt lectioni alteri reservemus, reparandi per silentium, sperantes in Verbo, quod vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV. *Quatuor versibus a nono ad duodecimum allegorice aut moraliter explicatis, absolvitur.*

1341 1. Vir, cujus erat species quasi species aeris,---EZECH. XL, 9:---*Mensus est vestibulum portae octo cubitorum, et*

frontem ejus duobus cubitis. Ac ne vestibulum extra portam esse crederemus, subditur:

IBID.---*Vestibulum autem portae erat intrinsecus.*

Quid autem per interius vestibulum, nisi aeternae vitae latitudo signatur, quae modo inter angustias vitae praesentis jam per spem mente concipitur? De qua per Psalmistam dicitur: *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum* **(Psal. XCIX, 4)**. Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustae vitae portam ingredimur. Sed cum post haec ad aeternam vitam perducimur, portae nostrae atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum nos laetitia perpetuae festivitatis exceperit. Propter confessionis nostrae angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* **(Matth. VII, 13)**. Et cum se Psalmista recipi in latitudinem gaudii aeterni praesumeret, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* **(Psal. XXX, 9)**. Ad atrium ergo per portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis. Illa itaque gaudia quae apud David atria, apud Ezechielem vestibulum intrinsecus vocantur. Unde et hoc ipsum vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum. Ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc et in exercitio operis laborant, et ad aeterna gaudia per contemplationis gratiam suspirant.

2. Nec immerito mensura vestibuli in octo cubitis ponitur, quia septem diebus universum tempus evolvitur. Aeterna etenim dies, quae expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est. Unde etiam Psalmista, resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii districtione erat locuturus, praemisit titulum, dicens: *In finem*

Psalmus David pro octava **(Psal. VI, 1)**. Ut enim quam octavam diceret demonstraret diem illam tremendi terroris, in Psalmi inchoatione secutus est, dicens: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* **(Ibid., 2)**. Modo enim quisquis per flagella corripitur, et correptionibus emendatur, in mansuetudine corripitur, non in ira. In districto autem illo examine omnis argutio atque correptio furor et ira est, quia venia post correptionem non est. Hujus octonarii numeri causa est, quod post Sabbatum Dominus voluit a morte resurgere. Dies quippe Dominicus, qui tertius est a morte dominica, a conditione dierum numeratur octavus, quia septimum sequitur. Unde et ipsa vera Redemptoris nostri passio, et vera resurrectio, figuravit aliquid de suo corpore in diebus passionis suae. Sexta enim feria passus est, Sabbato quievit in sepulcro, Dominico autem die resurrexit a morte. Praesens etenim vita nobis adhuc sexta est feria, quia in doloribus ducitur, et **1342** in angustiis cruciatur. Sed Sabbato quasi in sepulcro quiescimus, quia requiem animae post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione ut diximus octavo, jam corpore a morte resurgimus, et in gloria animae etiam cum carne gaudebimus. Quod ergo mire Salvator noster fecit in se, hoc veraciter signavit in nobis, ut nos et dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava. Hinc per Salomonem dicitur: *Da partem septem, necnon et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram* **(Eccle. XI, 2)**. Partem etenim septem simul et octo damus, quando sic ea quae septem diebus evolvuntur disponimus, ut per haec ad bona aeterna veniamus; ut dum modo caute agitur, postmodum venientis tremendi judicii ira devitetur. Octo itaque cubitis vestibulum

mensuratur intrinsecus, quia per lucem quae post septem dies sequitur, latitudo nobis aeternitatis aperitur.

3. Sed nemo ad illam venit, nisi qui hic dilectionem Dei ac proximi devota mente tenuerit. Unde et subditur: *Et frontem ejus duobus cubitis.* Frons etenim portae est bonum meritum vitae praesentis. Sicut enim vestibulum intrinsecus aeterna requies debet intelligi, ita per frontem portae necesse est qualitatem visibilis vitae signari. Frons ergo portae duobus cubitis mensuratur, quia quisquis hic dilectionem Dei et proximi servare studuerit, ipse ad aeternitatis atrium pertinget. Vita igitur nostra ut duobus cubitis sit mensurata, tendi quotidie per charitatem debet in amorem Dei simul et proximi. Non est enim charitas vera, si minus a duobus cubitis habet. Unde Moyses cum per colores vestium, electorum virtutes exprimeret, in ornamento pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi **(Exod. XXVIII, 5)**. Quid namque per coccum nisi charitas designatur, quae semper per flammam amoris accenditur? Sed coccus bis tingitur, quando non solum ex amore Dei, sed etiam proximi nostra charitas inflammatur. Nam quisquis sic amat Deum, ut commissi sibi proximi curam relinquat, adhuc in eo coccus semel tinctus est. Et quisquis sic amat proximum, ut imminuat desiderium quo flagrare debet ad Deum, non est adhuc in eo color tincturae geminatus. Debemus ergo et amare eos cum quibus vivimus, et ad illum totis desideriis anhelare in quo veraciter vivamus. Ecce etenim ad fidem atque ad audiendum verbum omnipotentis Domini nos qui religioso induti habitu videmur, ex diversa mundi qualitate convenimus, atque ex dissimilibus iniquitatibus in sanctae Ecclesiae concordiam congregati sumus, ita ut jam patenter factum esse videatur quod de promissione Ecclesiae

per Isaiam dicitur: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit* **(Isai. XI, 6)**. Nam per sanctae charitatis viscera **1343** lupus cum agno habitat, quia hi qui in saeculo raptores fuerunt cum mansuetis ac mitibus in pace conquiescunt. Et pardus cum haedo accubat, quia is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit et peccatorem fatetur humiliari consentit. Ubi et subditur: *Vitulus et leo et ovis simul morabuntur* **(Isai. XI, 6)**, quia is qui per contritum cor ad quotidinaum se Deo sacrificium praeparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate severiter saeviebat, et alter qui velut ovis in innocentiae suae simplicitate perdurat, in caulis sanctae Ecclesiae convenerunt. Ecce qualis est charitas, quae diversitates mentium accendit, concremat, conflat, et quasi in unam auri speciem reformat. Sed in eo quod se electi sic amant, ad illum necesse est ut festinent, quem aeterno gaudio in coelis videre mereantur. Unus est etenim Dominus ac Redemptor noster, qui et hic electorum suorum corda ad unanimitatem ligat, et ad supernum amorem per interna desideria semper stimulat. Unde et illic subditur: *Et puer parvulus minabit eos* **(Ibid.)**. Quis iste est puer parvulus, nisi de quo scriptum est: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis* **(Ibid., IX, 6)**? Qui simul habitantes minat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhaereant, haec per internum desiderium quotidie inflammat. Et hoc ipsum ejus minare est ad suum nos amorem incessanter accendere, ne cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exsilio remaneamus, ne quies hujus vitae sic placeat, ut ad oblivionem patriae perducat, ne delectata mens prosperis torpeat. Unde et donis suis flagella permiscet, ut nobis omne quod nos in saeculo delectabat amarescat, et illud incendium surgat in animo quod nos semper ad coeleste

desiderium inquietet, excitet, atque, ut ita dicam, delectabiliter mordeat, suaviter cruciet, hilariter contristet. Puer ergo nos parvulus minat, quia is qui paulo minus quam angeli minoratus est per charitatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit. Bis tinctus itaque in nobis coccus est, si et hic proximos nostros sicut nos diligimus, et ad auctorem omnium cum ipsis quos diligimus festinamus. Si igitur vita nostra de perfecta charitate bis tingitur, frons in nobis portae duobus cubitis mensuratur. Sive igitur doctor, seu sacrum eloquium, vel certe fides portae nomine signetur, in mensura utriusque cubiti charitas non inconvenienter accipitur, quam ille vere praedicat qui Dei ac proximi amorem docet; et ipsa est certa scientia, quam charitas aedificat; et fides robusta est, quae se in dilectione Dei ac proximi exercet. Sequitur:

VERS. 10.---*Porro thalami portae ad viam Orientalem, tres hinc, et tres inde, et mensura una trium.*

4. Quid thalami, quid via Orientalis designet, jam superius diximus **(Hom. 3, n. 8 et seqq.)**, nec replicare ea latius necessarium putamus. Sed quaerendum nobis est quid est quod dicitur, *Tres hinc, et tres inde.* Thalami quippe juxta viam Orientalem sunt corda ferventium in amore Dei. Et sive hi qui electi in testamento veteri fuerunt, sive qui in testamento novo secuti sunt, nimirum constat quia omnes ex amore Trinitatis accensi sunt. Neque enim vere Deum diligerent, si ejusdem Trinitatis, quae Deus est, gratiam non accepissent. Juxta viam ergo **1344** Orientalem tres hinc et tres inde sunt thalami, quia dum inter veteres et novos patres Dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum via Orientalis apparuit, qui thalami ad veram virtutum

speciem in Trinitatis sunt cognitione decorati. Sin vero ad virtutes electorum eumdem numerum referamus, tres sunt virtutes, sine quibus is qui aliquid operari jam potest, salvari non potest, videlicet fides, spes, charitas. Et quia eadem fides, spes, et charitas in antiquis patribus quae in novis doctoribus fuit, juxta Orientalem viam tres hinc, et tres inde thalami describuntur.

5. Vel certe quia tres patrum veterum distinctiones fuerunt, tres quoque novorum sub gratia sequuntur. Vetus quippe populus habuit patres ante legem, ac deinde in lege, et postmodum prophetas. In novo autem populo prius Hebraeorum primitiae crediderunt, postmodum plenitudo gentium in fide secuta est, ac deinde in fine saeculi Hebraeorum reliquiae salvantur **(Rom. IX, 27)**. Quia ergo incarnatio Domini et ex superiori parte patres ante legem, patres in lege, atque ad extremum prophetas habuit, et ex posteriore fideles ex Hebraeis, fideles ex gentibus, ac postmodum Hebraeorum reliquias colliget, Orientalis via tres hinc et tres inde thalamos habere memoratur. Sed hoc quoque non inconvenienter accipimus, si tres esse fidelium ordines dicamus. Sive namque in veteri, seu in novo testamento, alius est ordo praedicantium, alius continentium, atque alius bonorum conjugum. Unde et idem propheta in superiori parte tres viros liberatos vidit: Noe, Daniel et Job **(Ezech. XIV, 14)**; in quibus videlicet tribus praedicatores, continentes et conjugati signati sunt. Nam Noe arcam in undis rexit, atque ideo figuram rectorum tenuit **(Genes. VII, 1, 2, seq.)**. Daniel in aula regia abstinentiae deditus fuit, et idcirco vitam continentium signavit **(Dan. I, 16)**. Job vero in conjugio positus, et curam domus propriae exercens, placuit Deo, per

quem digne bonorum conjugum ordo figuratur **(Job. I, 8)**. Quia ergo etiam ante Mediatoris adventum, et praedicatores, et continentes, ac boni conjugati fuerunt, qui eumdem ejus adventum praestolati sunt, et magna hunc siti desiderii videre cupierunt, et postmodum praedicatores, et continentes, ac boni conjugati, sicut cernimus, existunt, qui Redemptorem nostrum non jam desiderant incarnandum, sed in majestatis suae gloria contemplandum, Orientalis via tres hinc, et tres inde thalamos habet, juxta Psalmistae vocem, qui de eadem via, videlicet Redemptore nostro, dicit: *In circuitu ejus tabernacula ejus* **(Psal. XVII, 12)**.

6. Sed pensandum nobis est sollicita intentione quod dicitur, quia *mensura una trium.* Cum enim longe sit a continentibus et tacentibus excellentia praedicatorum, et valde a conjugatis distet eminentia continentium, quid est quod una mensura dicitur trium? Conjugati quippe quamvis et bene agant, et omnipotentem Deum videre desiderent, domesticis tamen curis occupantur, et necessitate cogente, in utroque mentem dividunt. Continentes autem ab hujus mundi actione remoti sunt, et voluptatem carnis etiam a licito conjugio restringunt, nulla conjugis, **1345** nulla filiorum cura, nullis noxiis ac difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur. Praedicatores vero non solum se a vitiis coercent, sed etiam alios peccare prohibent, ad fidem ducunt, in studio bonae conversationis instruunt. Quomodo ergo una eorum mensura est, quorum vitae aequalitas una non est? Sed mensura una trium est, quia etsi in eis meritorum magna est diversitas, tamen distantia in fide in qua tenduntur non est. Nam eadem fides quae istos solidat in maximis, illorum infirmitatem continet in parvis. Vel certe trium una mensura est, quia in

retributione ultima quamvis eadem dignitas omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis. Unde et per semetipsum Dominus dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* **(Joan. XIV, 2)**. Sed tamen qui in vineam ducti sunt, quamvis diversis horis venerint, unum denarium perceperunt **(Matth. XX, 9)**. Qua itaque ratione conveniant mansiones multae cum uno denario, nisi quia diversae quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una quies aeternae retributionis? Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum, quia etsi alter minus atque alius amplius exsultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione laetificat.

7. Hoc quoque est, sive de veteribus, seu de novis patribus sentiendum, quia Orientalis via cum tres hinc et tres inde thalamos habeat, mensura una trium est, quoniam ipsa fides atque ipsum meritum tenuit corda praecedentium quae replevit corda sequentium sub testamento novo positorum, sicut et per Paulum dicitur: *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum* **(Psal. CXV, 1)**: *et nos credimus, propter quod et loquimur* **(II Cor. IV, 13)**. Spiritales quippe illi patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem Trinitatem novi patres aperte locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in coelo clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* **(Isai. VI, 3)**. Ut enim personarum trinitas monstraretur, tertio sanctus dicitur; sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Domini sabaoth, sed Dominus Deus sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens, ait: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* **(Psal. LXVI, 8)**. Qui cum tertio

dixisset Deum, ut unum esse hunc ostenderet, subdidit: *Et metuant eum omnes fines terrae.* Paulus quoque loquitur dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* **(Rom. XI, 36)**. Ex ipso, videlicet ex Patre; per ipsum, per Filium; in ipso autem, in Spiritu sancto. Qui cum ipsum tertio dixisset, adjunxit: *Ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen* **(Ibid.)**. Qui enim non dixit, ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas, et subjungendo *Ipsi gloria,* non divisit substantiam. Quia itaque una est veterum ac novorum patrum fides, recte thalamorum describitur mensura una trium. Quod verbis aliis replicatur cum subditur:

IBID.---*Et mensura una frontium ex utraque parte.*

8. Ex utraque enim parte est una mensura frontium, quia patres nostri vel prius a veteri, vel nunc a novo testamento venientes, in una Mediatoris fide conveniunt. Qui pro eo quod charitate pleni sunt, **1346** carnem suam abstinentia edomant, corda audientium praedicationis lumine illustrant, signa faciunt, virtutes operantur, per hoc quod eorum bona nobis foris innotescunt, non immerito hujus coelestis aedificii frontes vocantur. Omne enim quod nunc in aperto ostenditur, frons est, ut illud sit vestibulum aedificii, quod nobis interius reservatur. Unde et sanctae Ecclesiae in Canticis canticorum dicitur: *Sicut cortex mali punici genae tuae, absque occultis tuis* **(Cant. VI, 6)**. Genae quippe sunt sanctae Ecclesiae spirituales patres, qui nunc in ea miraculis coruscant, et velut in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, coelestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici sanctae Ecclesiae genae rubent. Sed quid istud est omne quod miramur in illius rei comparatione de qua scriptum est: *Quod*

oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se **(I Cor. II, 9; Isai. LXIV, 4)**? Bene ergo, cum miraretur genas Ecclesiae, subdidit: *Absque occultis tuis* **(Cant. VI, 6)**. Ac si aperte diceretur: Ea quidem quae in te non latent magna sunt, sed illa valde ineffabilia, quae latent. Sequitur:

VERS. 11.---*Et mensus est latitudinem liminis portae decem cubitorum, et longitudinem portae tredecim cubitorum.*

9. Multa superius de portae significatione jam diximus, sed unum tenere aliquid debemus per quod possit et caetera lectoris prudentia penetrare. Dictum quippe est per portam Scripturam sacram posse figurari. Sed hoc nobis modo laboriose discutiendum est, cur latitudo liminis portae decem cubitis, et longitudo portae tredecim mensuratur. Hoc autem loco longitudo portae altitudo dicitur, sicut nos longae staturae dicimus quem altum videmus. Nam longitudo portae dici in transversum non potest, cujus latitudo per decem cubitos demonstratur. Quid ergo latitudo liminis portae, nisi lex testamenti veteris fuit, et longitudo portae, nisi gratia testamenti novi? Quia videlicet Scriptura sacra dum per testamentum vetus crimina operum compescuit, dari decimas praecepit **(Deut. XII, 6)**, quasi per mandata humilia in liminis latitudine jacuit. Sed dum per testamentum novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia, et pro Deo vitam corporis jussit cum praesenti saeculo despici **(Matth. XV, 19; Marc. VII, 21; Luc. IX, 24)**, quasi porta nostra in longitudinis altitudinem surrexit. Minora quippe praecepta Israelitico populo per legem data sunt: unde et eidem populo Moyses in campo locutus est **(Exod. XIX, 7, seq.)**. Altiora Dominus sanctis apostolis dedit, unde et eos de mandatis vitae

in monte docuit. Dum vero Redemptor noster per Evangelium dicit: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere* **(Matth. V, 17)**. Adimplere enim venerat legem qui legis justitiae gratiam addidit, ut quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in summis, et quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde. Intellecta ergo lex, quae in latitudine jacuit, in altitudinem surrexit. Ipsa enim Dei cognitio quae apud illam in spiritalibus patribus fuit, nota omni Hebraeorum populo non fuit. Nam omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem, cum prophetae praedicarent, **1347** populus ignorabat; solum Decalogum tenebat in lege, fidem Trinitatis nesciens. Mensuratur ergo latitudo liminis portae decem cubitis, quia durus ille populus, subtilitatem fidei ignorans, mandatis serviebat Decalogi. Mensuratur vero longitudo portae tredecim cubitis, quia per testamentum novum in corde fidelis populi super mandata Decalogi, quae verius custodit, cognitio Trinitatis crevit. Et eo mandata legis perficit, quo Trinitatem esse omnipotentem Dominum credit.

10. Ubi et quaeri rationabiliter potest cur istam latitudinem liminis portae, quam superius dixerat uno calamo mensurari, inferius subjunxit quod decem cubitis mensuretur, ac deinde subditur quod longitudo portae tredecim sit cubitis mensurata. Unus etenim calamus, sicut jam saepe dictum est, sex cubitos habet et palmum, decem vero cubiti jam mensuram suam super calamum tenent, tredecim vero amplius quam decem. Quid est ergo quod prius uno calamo limen portae, postmodum latitudo ejus decem cubitis, ad extremum quoque longitudo portae tredecim mensuratur, nisi quod sancti patres, quos per sanctam Scripturam ante legem fuisse cognoscimus,

unum quidem omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem esse noverunt, sed eamdem Trinitatem quam cognoverunt aperte minime praedicaverunt? Qui ejus jussionibus obedientes, et vitae munditiam conservantes, quasi in sex cubitis calami habuerunt perfectionem operis, et saepe angelos videntes habuerunt palmum contemplationis. Data autem lege, rudis ille Hebraeorum populus mandata Decalogi servare conatus est, sed tamen de cognitione sanctae Trinitatis eruditus non est. Et quamvis hanc spiritales patres perfecte cognovissent, multitudo tamen magna Synagogae nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quaerere scivit.

11. Superveniente autem gratia per testamentum novum, omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse cognovit, et virtutem Decalogi in ejus agnitione complevit. Prius ergo limen portae mensuratur calamo uno, postmodum latitudo ejus cubitis decem, atque ad extremum longitudo portae cubitis tredecim, quia et sanctis patribus ante legem activa et contemplativa vita non defuit, et sub legis Decalogo populus divinae substantiae mysterium nesciens, in mandatorum latitudinem servivit. Et nunc sub gratia, custoditis verius Decalogi praeceptis, omnis qui ad fidem venerit sanctae Trinitatis mysterium cognoscit.

12. Qua in re hoc quoque nobis sciendum est quia et per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor si haec ipsa Scriptura non loquitur: *Pertransibunt,* inquit, *plurimi, et multiplex erit scientia* **(Dan. XII, 4)**. Sed haec eadem quae de Abraham,

Moyse, prophetis et apostolis diximus, ex ejusdem Scripturae **1348** verbis, si possumus, ostendamus. Quis enim nesciat quia Abraham cum Deo locutus est **(Genes. XII, seq.)**? et tamen ad Moysen Dominus dicit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis* **(Exod. VI, 3; Ibid., III, 6)**? Ecce plus Moysi quam Abrahae innotuerat, qui illud de se Moysi indicat quod se Abrahae non indicasse narrabat. Sed videamus si prophetae plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt. Certe Psalmista dicit: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est* **(Psal. CXVIII, 97)**. Atque subjunxit: *Super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea est* **(Ibid., 99)**. Et iterum: *Super seniores intellexi* **(Ibid., 100)**. Qui ergo legem meditari se memorat, et super omnes docentes se ac super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperat manifestat. Quomodo autem ostensuri sumus quia plus sancti apostoli edocti sunt quam prophetae? Certe Veritas dicit: *Multi reges et prophetae voluerunt videre quae videtis, et audire quae auditis, sed non viderunt* **(Luc. X, 24)**. Plus ergo quam prophetae de divina scientia noverunt, quia quod illi solo spiritu viderunt, isti etiam corporaliter viderunt. Impleta itaque est ea, quam superius diximus, Danielis sententia: *Quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* **(Dan. XII, 4)**. Mensura ergo calami, qui est sex cubitorum et palmi, ducatur ad cubitos decem; et mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tredecim, quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur. Sequitur:

VERS. 12.---*Et marginem ante thalamos cubiti unius.*

13. Sicut saepe diximus, thalami corda electorum sunt, omnipotentis Dei amore ferventia. Quid ergo per marginem ante thalamos, nisi fides exprimitur? quia nisi prius ipsa teneatur, nullo modo ad spiritalem amorem pertingitur. Non enim charitas fidem, sed fides charitatem praecedit. Nemo enim potest amare quod non crediderit. Margo itaque est ante thalamos, fides ante ardorem charitatis, quia, sicut dictum est, nisi ea quae audis credideris, ad amorem eorum quae audieris nullatenus inflammaberis. Sed margo ante thalamos cubiti unius est, quia tunc fides corda audientium in amore Deo copulat, quando per errores et schismata divisa non est, sed in unitate perdurat, ut videlicet margo unius cubiti audientis animum ad thalamum perducat, quia coelestis sponsi speciem quam hic praedicat postmodum in coelestibus demonstrat. Ubi et bene subditur:

IBID.---*Et cubitus unus finis utrinque.*

14. Utrinque autem dicitur, ac si dicatur utrique, scilicet limini et portae. Per latitudinem quippe liminis et longitudinem portae vetus ac novum testamentum diximus designari. Ad extremum vero additur quod cubitus unus sit finis utrinque, quia videlicet et testamentum vetus unum nobis Mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et testamentum novum eumdem nobis **1349** nuntiat in aeterna claritate venturum, quem jam pro nobis cognovimus incarnatum. Cubitus ergo unus finis utrorumque est, quia et quem lex praedixit in carne apparuit, et ipse quem nunc Testamentum Novum loquitur, in gloria majestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in divinitatis suae potentia, omnia quae sunt praedicta compleverit. Scriptum namque est: *Finis legis Christus ad justitiam credenti* **(Rom. X,**

4). Finis videlicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perfecit, cum, sicut lex praedixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de ejus judicio multa Novum Testamentum loquitur, adhuc multa de regno illius narrat, quae necdum videmus impleta. Ecce quotidie Evangelium legitur, ventura vita praedicatur. Tunc ergo erit et novi testamenti finis, cum ea quae de se promisit Dominus compleverit.

15. Finietur vero testamentum novum, quia perficietur. Nam cum ipse de quo loquitur visus fuerit, ejusdem testamenti verba cessabunt. Unde et sanctae Ecclesiae veri luminis diem quasi tempus vernale praestolanti, per sponsi vocem dicitur: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra* **(Cant. II, 10, 11)**. Sive enim sancta Ecclesia, seu unaquaeque electa anima, coelesti sponso est amica per amorem, columba per spiritum, formosa per morum pulchritudinem. Quae cum jam de corruptione carnis educitur, ei procul dubio hiems transit, quia praesentis vitae torpor abscedit. Imber quoque abit et recedit, quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum educitur, jam verborum guttae necessariae non erunt, ut pluvia debeat praedicationis infundi. Nam quod minus audire potuit, amplius videbit. Tunc apparent flores in terra, quia cum de aeternae beatitudinis vita quaedam suavitatis primordia praegustare anima coeperit, quasi jam in floribus odoratur exiens, quod postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit. Unde et illic subditur: *Tempus putationis advenit* **(Ibid., II, 12)**. In putatione quippe sarmenta sterilia reciduntur, ut ea quae praevalent uberius fructum ferant.

Nostrae itaque putationis tempus tunc advenit quando infructuosam ac noxiam corruptionem carnis deserimus, ut ad fructum animae pervenire valeamus. Qui fructus nobis erit uberrimus, visio unius. Cubitus ergo unus est finis utrinque, quia unus est ille qui dixit: *Singulariter sum ego donec transeam* **(Psal. CXL, 10)**. Qui solus cum Patre et sancto Spiritu praesidet in coelo, sicut passer unicus in aedificio **(Psal. CI, 8)**. Quemadmodum implevit legem per mysterium incarnationis et perfectae humanitatis suae, ita testamenti novi promissa impleturus est per ostensam gloriam claritatis suae.

16. Hunc unum nobis cubitum mensura quoque arcae locuta est. Arca enim, quae trecentis cubitis fieri in longitudine jussa est, sexaginta vero in latitudine, triginta autem in altitudine **(Genes. VI, 15)**, in uno est cubito consummata. Quid enim per arcam nisi sancta Ecclesia figuratur, quae inferius ampla est, superius angusta? Quae a trecentis, et sexaginta, ac triginta cubitis ad unum cubitum colligitur, quia ab ea latitudine quam sancta Ecclesia in membris suis adhuc infirmantibus habet **1350** paulisper angustata, et in altum proficiens, ad unum tendit. Ipsa enim ratio exigit ut credamus quod in illa arcae latitudine omnes bestiae, cuncta quadrupedia atque reptilia in inferioribus fuerunt, homines atque volatilia nimirum in superioribus. Juxta superiorem etenim partem fenestra fuit in latere, de qua corvum et columbam dimisit homo, ut si jam diluvii transissent aquae, cognosceret. Et quia arca eadem in uno fuit cubito consummata, homines et volatilia juxta cubitum fuerunt. Recte itaque per arcam universa Ecclesia designatur, quae adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritalibus

angusta. Et quia ad unum hominem, qui est sine peccato, colligitur, quasi in uno cubito consummatur.

17. Videmus etenim multos intra ejusdem sanctae Ecclesiae sinum in superbia erigi, in carnis voluptate dissolvi, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritia maria transire, deservire iracundiae, jurgiis vacare, proximos quos praevalent laedere. Sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat ut convertantur, quasi in arcae latitudine deorsum bestiae morantur. Videmus alios jam aliena non quaerere, illatam injuriam aequanimiter portare, rebus propriis esse contentos, humiliter vivere. Sed quia isti jam pauci sunt, angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis judicio premere, per coeleste desiderium contemplationis penna sublevari. Sed quia tales quique valde rari sunt, jam arca juxta cubitum ducitur, ubi homines et volatilia continentur. Quaeratur tamen si quis in eis esse valeat sine peccato, et nullus invenitur. Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccatis conceptus non est? In uno ergo cubito consummatur arca, quia unus est auctor et Redemptor sanctae Ecclesiae sine peccato, ad quem et per quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt. Dicatur itaque de limine et porta: *Et cubitus unus, finis utrinque,* quia cum unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus in majestate sua apparuerit, omnia utriusque testamenti quae praedicta et promissa sunt complebit.

18. Sin vero utraque hoc loco marginem ac thalamos memorat, neque hoc ab hac sententia abhorret, quia cum majestas Redemptoris nostri nobis fuerit ostensa, finitur fides,

cum jam coeperit videre homo quod credidit. Et ad finem suum perveniunt thalami, quia corda fidelium incomparabiliter longe quam modo sunt, in amore illius perficiuntur. Cubitus ergo unus finis utrinque est, quia unius Domini et Salvatoris visio in electis suis fidem finit, et charitatem perficit.

19. Considerare libet qui nos sumus qui ista tractamus. Certe ex gentibus venimus, certe parentes nostri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde ergo hoc nobis, ut ea quae nunc usque Hebraei nesciunt Ezechielis prophetae tam profunda mysteria rimemur? Agamus ergo gratias uni, qui cuncta quae de eo in sacro eloquio scripta sunt opere implevit, ut quae intelligi audita non poterant, visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi **1351** ascensio illius continetur. Sed quis nostrum haec audita crederet, nisi facta cognovisset? Signatum ergo librum, sicut in Joannis Apocalypsi legitur **(Apoc. V, 3, 5)**, quem aperire et legere nemo poterat, leo de tribu Juda aperuit, quia omnia ejus nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostrae mala pertulit, suae nobis potentiae et claritatis bona monstravit.

20. Caro enim factus est, ut nos spiritales faceret; benigne inclinatus est, ut levaret; exiit, ut introduceret; visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret; flagella pertulit, ut sanaret; opprobria et irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio aeterno liberaret; mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti et mortuo, et ideo amplius vivificanti, quia mortuo. Unde bene salutem nostram, et passionem illius Isaias contemplatus ait: *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus; ut*

operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo **(Isai. XXVIII, 21)**. Opus etenim Dei est animas quas creavit colligere, et ad aeternae lucis gaudia revocare. Flagellari autem **1352** atque sputis illini, crucifigi, mori, atque sepeliri, non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui haec omnia meruit per peccatum. *Sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* **(I Petr. II, 24)**. Et qui in natura sua manet semper incomprehensibilis, in natura nostra comprehendi dignatus est ac flagellari, quia nisi ea quae erant infirmitatis nostrae susciperet, nunquam nos ad suae fortitudinis potentiam sublevaret. Ut ergo faciat opus suum, alienum opus ejus; et ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, quia incarnatus Deus, ut nos ad suam justitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Et alienum opus fecit ut faceret proprium, quia per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suae gloriam perduxit, in qua vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V. *Ab extrema duodecimi versus parte ad decimum septimum, Ezechielis cap. quadragesimum exponitur, ac de contemplatione praesertim disseritur.*

1351 1. Memoratis superius thalamis, propheta subjungit, quia thalami sex cubitorum erant hinc et inde. Qua in re magna nobis quaestio generatur, cur superius thalamum uno

calamo mensuratum dixit, quem videlicet calamum sex cubitos et palmum habere perhibuit, atque inferius thalamos sex solummodo dicit cubitis mensurari. Si enim non calamo, sed sex cubitis mensurantur, palmus deest, qui superius in mensura calami dicebatur adesse. Sed si thalami sunt sensus atque cogitationes fidelium, in quibus castae animae conditori suo in amore junguntur, et per sex cubitos perfecta operatio, per palmum vero inchoatio contemplationis exprimitur, sanctae universalis Ecclesiae debemus membra conspicere, et citius invenimus quia sunt in ea thalami uno calamo, et sunt alii sex tantummodo cubitis mensurati. Nam fideles quidam in illa omnipotentem Deum ita amant, ut et in opere perfecti sint, et in contemplatione suspensi. Hi profecto calamum in mensura habent, quia et sex cubitos operationis, et palmum contemplationis possident. Quidam vero omnipotentem quidem Deum diligunt, et perfecte in bonis operibus exercentur, sed tamen contemplari ejus magnitudinem subtiliori intellectu nesciunt. Amant autem, sed investigare gaudia ejus claritatis ignorant. Hi itaque sex cubitos habent et palmum non habent, quia ei jam per amorem juncti sunt, sed ex contemplatione disjuncti. Qui tamen thalami post commemorationem cubiti unius hinc et inde esse referuntur, quia videlicet in amore **1352** auctoris ac Redemptoris nostri fideles animae et ex Judaico populo et ex gentilitate convenerunt.

2. Unde et idem Redemptor noster, cum, *Asellum sedens, Jerusalem tenderet,* sicut evangelista testatur, *multi vestimenta sua straverunt in via; alii autem frondes caedebant de arboribus, et sternebant in via; et qui praeibant et qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna, benedictus qui*

venit in nomine Domini **(Marc. XI, 7, seq.)**. Salvator enim noster asellum sedens Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimae visionem ducit. Jumentum sedet etiam cum sanctae Ecclesiae universaliter praesidet, eamque in supernae pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut ei iter ad mentem parent, vel exempla bona sequentibus praebeant. Alii autem ramos vel frondes de arboribus caedunt et sternunt in via, quia in doctrina veritatis verba atque sententias patrum ex eorum eloquio decerpunt, et haec in via Dei ad auditoris animum venientes humili praedicatione submittunt. Quod indigni quoque et nos modo facimus. Nam cum patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus caedimus, ut has in via Dei omnipotentis sternamus. Sed qui praeibant et qui sequebantur clamabant: Hosanna. Praecessit quippe Judaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi, sive qui in Judaea esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatorem Dei **1353** et hominum crediderunt et credunt, qui praeeunt et qui sequuntur Hosanna clamant. Hosanna autem Latina lingua, salva nos dicitur. Ab ipso enim salutem et priores quaesierunt, et praesentes quaerunt; et benedictum qui venit in nomine Domini confitentur, quoniam una spes, una fides est praecedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illi exspectata passione ac resurrectione ejus sanati sunt, ita nos praeterita passione illius ac permanente in saecula resurrectione salvamur. Quem enim priores nostri ex Judaico populo crediderunt atque amaverunt venturum, hunc nos et venisse credimus et amamus, ejusque desiderio accendimur, ut eum facie ad faciem contemplemur.

Thalami ergo ejus hinc et inde sunt, quia corda amantium fidem quae in illo est et a priori parte saeculi et ab ultima complectuntur. Sequitur:

VERS. 13.---*Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus, latitudinem viginti et quinque cubitorum.*

3. Saepe jam diximus, portam fidem, et per eamdem fidem ipsum Dominum ac Redemptorem nostrum, Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum posse signari, quia per fidem quae in eo est introitus ad vitam patet. Sed etiam Scripturam sacram, quae nobis eamdem ipsam fidem in Redemptoris nostri intellectum aperit, non immerito portam accipimus, quia, ea ut oportet cognita, ad intelligenda invisibilia intramus. Si igitur hoc in loco, ut praediximus, porta Scriptura accipitur, quaerendum est quid per tectum thalami, quid per tectum portae signetur. Sed habet thalamus tectum, quia operta est mens amantium, et adhuc fervor amoris in occulto est. Habet quoque et porta tectum, quia Scriptura tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur a nobis.

4. Multa quippe in illa ita aperte scripta sunt, ut pascant parvulos; quaedam vero obscurioribus sententiis velantur, ut exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem ita in ea clausa sunt, ut dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostrae caecitatis, ad humilitatem magis quam ad intelligentiam proficiamus. Sunt enim quaedam quae ita de coelestibus loquuntur, ut solis illis supernis civibus in patria sua persistentibus pateant, necdumque nobis peregrinantibus reserentur. Nam si quis ad urbem incognitam pergens multa de illa in via audiat, quaedam quidem ex ratione colligit, quaedam vero, quia

necdum videt, nullo modo cognoscit; ipsi vero cives qui in ea sunt, et quae de illa tacentur vident, et quae de illa dicuntur intelligunt. Nos igitur in via adhuc sumus, multa de illa coelesti patria audimus, alia jam per spiritum et rationem intelligimus, quaedam vero non intellecta veneramur. Unde et de eodem sacro eloquio scriptum est: *Extendens coelum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus* **(Psal. CIII, 2)**. Coelum quippe sicut pellis extenditur, quia per ora mortalium Scriptura sacra nobis in expositionibus explicatur. Sed sunt aquae in coelo, superiores videlicet multitudines, id est angelorum agmina, in quibus ejusdem coeli teguntur superiora, quia ea quae **1354** in sacro eloquio altiora et obscuriora sunt, angelicis solummodo spiritibus patent, et nobis adhuc incognita perdurant. Habet ergo thalamus tectum, quia nescit adhuc proximus quantum amatur a proximo. Porta quoque, id est sacrum eloquium habet tectum, quia necdum omnia penetrare intellectu possumus quae de coelestibus audimus.

5. Restat ergo ut in his quae intelligimus in profectu quotidie charitatis ambulemus. Et quamvis in nobis proximi quoque nostri non videant quantum diligantur a nobis, atque in sacro eloquio ea quae necdum intelligimus humiliter veneremur, in his tamen ad quae intelligendo pervenimus, dilatari per bonam operationem debemus. Unde et dicitur: *Et mensus est portam a tecto thalami, usque ad tectum ejus, latitudinem viginti et quinque cubitorum.* Quinque enim carnis sensibus praediti sumus, videlicet visu, gustu, olfactu, auditu atque tactu. Idem vero quinarius numerus, per semetipsum multiplicatus, ad vigesimum et quia tum numerum surgit. Operari autem exterius quiddam de mandatis coelestibus sine istis corporeis

quinque sensibus non valemus. His quippe officiis suis judex animus interius praesidet, et quid exterius agere juste vel misericorditer possit, quasi eisdem officiis renuntiantibus ac deservientibus agnoscit. Cum ergo timore omnipotentis Domini animus impletur, necesse est ut quinque nostri sensus nobis velut subjecta officia in bona operatione deserviant. Per quos cum aliquid agere misericorditer coeperimus, plus se quotidie ipsa misericordia aperit, et quasi quidam sinus boni operis expandit. Quinque igitur sensus multiplicantur in se, dum hoc quod per ipsos agitur in bono quotidie opere per profectum multiplicatur. Unde et latitudo esse viginti et quinque cubitorum dicitur, quia timor, tenacia et pigredo, angustia est. Quisquis enim ideo indigenti dare panem metuit, ne sibi desit, adhuc in angustia timoris est. Quisquis ideo vestimentum algenti non porrigit, quia hoc solus habere concupiscit, adhuc tenaciae suae angustia coarctatur. Quisquis ideo bonum non agit, quia tepore animi pigrescit, ipse ei suus torpor angustia est. Respicere autem inopem, exaudire precem, largiri stipem, praebere defensionem, atque pro ejusdem defensione pauperis adversantis cujuslibet inimicitias non timere, magna mentis latitudo est. Mensuretur ergo inter thalamum et portam ea quae interjacet latitudo, cubitis viginti et quinque, quia in exteriorum sensuum operatione probatur et cognoscitur quae intrinsecus largitas bonitatis habeatur. Nam quid jam de Scriptura sacra didiceris et quantum proximum tacitus ames, in latitudine boni operis ostendis.

6. Pateat itaque viginti et quinque cubitis latitudo inter thalamum et portam, quia inter charitatem et scientiam testis est bona operatio. Quae si fortasse defuerit, profecto certum

est nec cognovisse te Deum, nec diligere proximum; id est, nec portam sacri eloquii, nec amoris thalamum habere. Et notandum est quod a tecto thalami usque ad tectum portae dicitur mensuratum. Per ea enim quae nobis in sacra Scriptura cooperta sunt, **1355** nostra humilitas approbatur, quia quidquid in illa non intelligimus, non superbe reprehendere, sed venerari humiliter debemus. Unde et de Domino scriptum est: *Palpebrae ejus interrogant filios hominum* **(Psal. X, 5)**. Palpebrae quippe ejus judicia sunt, quae aliquid nobis claudunt, et aliquid aperiunt. Quae aperiendo nos interrogant si intelligendo non extollimur. Claudendo nos interrogant si non despicimus quae intelligere non valemus. Per ea autem quae de charitate nostra proximis nostris non loquimur, in conspectu Dei verius probamur. In quorumdam enim ore charitas ficta est, in quorumdam vero cordibus vera. Et saepe de charitate ostenditur quod non est, et non demonstratur quod est. Amorem itaque nostrum erga proximum plus bona operatio loquitur quam lingua, ut in ipso bono opere proximus noster amari se videat. Et cum tantum non possumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta amoris nostri sufficiant. A tecto ergo thalami usque ad tectum portae sit magna latitudo, ut ab occultis nostrae charitatis propter proximum usque ad humilitatem scientiae, et propter Deum, in quantum intelligimus et valemus, bona semper operemur.

7. Potest etiam porta ipse jam aditus regni coelestis intelligi. Habet nunc thalamus tectum, habet et porta tectum, quia et quanta sit nostra charitas in Deum et proximum, non cognoscitur, et quando de hoc saeculo ad aeternae vitae requiem introducamur ignoratur. Esse enim nobis conditor noster diem mortis nostrae incognitum voluit, ut, dum semper

ignoratur, semper esse proximus credatur; et tanto quisque ferventior sit in operatione, quanto et incertus est de vocatione. Unde et latitudo viginti et quinque cubitorum a thalamo ad portam tenditur, quia per charitatem quam semel in Deo et proximo concepimus, usque ad ingressum regni debemus omne quod possumus multipliciter atque incessanter operari. A tecto itaque thalami usque ad tectum portae magna latitudo est, quia ex gratia qua inchoamus Deum diligere, usque ad ipsam dilectionem quae nobis aditum regni coelestis aperit, debemus nosmetipsos in magna bonorum operum actione dilatare, adversa patienter perpeti, bona libenter impendere, ipsos etiam quos patimur amare, habita tribuere, non habita non ambire, proximos sicut nosmetipsos diligere, eorum bona nostra credere, eorum mala quasi propria deflere. In tali ergo mente magna latitudo est, in qua angustia odiorum non est. Quam profecto latitudinem ex Dei et proximi amore concepimus, et per sacra mandata cognovimus. Nam et ipsos latitudinis viginti et quinque cubitos non inconvenienter intelligimus, si eos juxta sacrum eloquium discutere velimus. Sex enim cubitis mensuratos thalamos dixerat, et sexto die homo est conditus **(Genes. I, 27)**; eo quoque die Dominus perfecisse opera sua describitur. Unde etiam pro perfectione poni senarius numerus solet. Et quia omnem operationem bonam per quatuor sancti Evangelii libros agnovimus, si sex quater ducimus, ad viginti et quatuor pervenimus. Cui monas additur, quia unus est **1356** per quem bene omnes operantur. Viginti ergo et quinque cubitis latitudo haec explicari debuit, quia omnis bona operatio per quatuor sancti Evangelii, ut diximus, libros agnoscitur, et in unius Dei cognitione et confessione completur. Sequitur:

VERS. 13.---*Et ostium contra ostium.*

8. Hoc loco *contra* non ad adversitatem ponitur, sed ad rectitudinem. Ostium enim contra ostium est cum recto itinere ab exteriore ad interiorem aditum pervenitur. In cognitione vero omnipotentis Dei primum ostium nostrum fides est, secundum vero species illius, ad quam per fidem ambulando pervenimus. In hac etenim vita hanc ingredimur, ut ad illam postmodum perducamur. Ostium ergo contra ostium est, quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei. Si quis vero utraque haec ostia in hac vita velit accipere, neque hoc a salubri intelligentia abhorret. Nam saepe volumus omnipotentis Dei naturam invisibilem considerare, sed nequaquam valemus; atque ipsis difficultatibus fatigata anima ad semetipsam redit, sibique de seipsa gradus ascensionis facit, ut primum semetipsam, si valet, consideret, et tunc illam naturam quae super ipsam est, in quantum potuerit, investiget. Sed mens nostra si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se vel animae naturam considerare sufficit, quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula caecatur.

9. Primus ergo gradus est ut se ad se colligat, secundus ut videat qualis est collecta, tertius ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subjiciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum atque coelestium imaginum phantasmata ab oculis mentis compescere, quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu et gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare, quatenus talem se quaerat intus, qualis sine istis est. Nam haec quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus

versat. Abigenda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mentis, quatenus talem se anima consideret, qualis sub Deo super corpus creata est, ut a superiore vivificata, vivificet inferius quod administrat. Quae et sic infusa est corpori, ut non per membrorum partes partibus sit divisa. Nam si in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro autem modo una eademque vivificatione membris praesidens, cum ipsa per naturam non diversa sit, per corpus tamen agit diversa. Ipsa quippe est quae per oculos videt, per aures audit, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tangit, et tangendo leue ab aspero discernit. Et cum tam diversa per sensus operatur, non haec diversa, sed una illa in qua creata est ratione disponit. Cum ergo seipsam sine imaginibus corporis cogitat anima, jam primum ostium intravit. Sed ab hoc ostio ad aliud tenditur, ut de natura Dei omnipotentis aliquid contempletur. Anima itaque in corpore vita est carnis, Deus vero qui vivificat omnia vita est animarum. Si igitur tantae est magnitudinis, **1357** ut comprehendi non possit vita vivificata, quis intellectu comprehendere valeat quantae majestatis sit vita vivificans? Sed hoc ipsum considerare atque discernere jam est aliquatenus intrare, quia ex sua aestimatione anima colligit quid de incircumscripto spiritu sentiat, qui ea incomprehensibiliter regit quae incomprehensibiliter creavit.

10. Conditor etenim noster longe incomparabiliter creaturae suae praesidet, et quaedam operatur ut sint, nec tamen vivant; quaedam vero ut sint et vivant, nec tamen discernere aliquid de vita valeant; quaedam autem ut sint, vivant, atque discernant. Et operatur unus omnia, sed in omnibus non divisus **(I Cor. XII, 6)**. Est enim vere summus, et nunquam

sibi dissimilis. Anima autem etsi per naturam sibimetipsi diversa non est, per cogitationem tamen diversa est. Eo enim momento et ictu quo de visu cogitat, de auditu cogitare obliviscitur; et eo momento et ictu quo de auditu vel gustu cogitat, de odoratu vel tactu cogitare non praevalet, quia per intentionem et oblivionem fit semper sibimetipsi dissimilis, ut nunc hoc, nunc illud cogitatione teneat. Omnipotens autem Deus, quia sibimetipsi dissimilis non est, ea virtute videt qua audit omnia, ea virtute creat qua judicat creata. Ejus ergo et videre simul omnia administrare est, et administrare conspicere. Nec alia cogitatione justos adjuvat, atque alia injustos damnat, sed una eademque vi naturae singularis sibi semper indissimilis dissimilia disponit. Cur autem hoc de potentia Creatoris admiremur, qui virtutis ejus vestigia et in creaturis conspicimus? Natura quippe luti et cerae diversa est. Solis vero radius non est diversus, et tamen cum diversus non sit, diversa sunt quae in luto operatur et cera, quia uno eodemque sui ignis calore lutum durat, et ceram liquat. Sed fortasse hoc in natura luti vel cerae est, non in ipsa solis substantia, quae in naturis diversis diversa videtur operari. Omnipotens autem Deus in semetipso habet sine immutatione mutabilia disponere, sine diversitate sui diversa agere, sine cogitationum vicissitudine dissimilia formare. Longe ergo dissimiliter operatur dissimilia nunquam sibi dissimilis Deus, qui et ubique est, et ubique totus est. Ait enim: *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* **(Isai. LVI, 1)**. Et de ipso scriptum est: *Qui coelum metitur palmo, et terram pugillo concludit* **(Ibid., XL, 12)**.

11. Ex qua re considerare necesse est quia is qui coelo velut sedi praesidet, super et intus est. Et qui coelum palmo, et

terram pugillo concludit, et exterius, superius, et inferius est. Ut ergo indicaret omnipotens Deus interiorem se esse, et superiorem omnibus, coelum ipse sibi sedem esse perhibuit. Ut vero se ostenderet omnia circumdare, coelum metiri palmo, et terram se asserit pugillo concludere. Ipse est ergo interior et exterior, ipse inferior et superior: regendo superior, portando inferior; replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus, ut extra sit; sic circumdat, ut penetret; sic praesidet, ut portet; **1358** sic portat, ut praesideat. Cum ergo elevata ad seipsam anima suum modulum intelligit, et quia corporalia omnia transcendat agnoscit, atque ab intellectu suo se ad auctoris intellectum tendit, quid jam haec nisi ostium quod est contra ostium aspicit? Unde et auctori omnium Propheta dicit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me* **(Psal. CXXXVIII, 6)**, quia quantumlibet intenderit, semetipsam anima perfecte non sufficit penetrare, quanto magis illius magnitudinem qui potuit et animam condere? Cumque in scientia Dei intellectu laboraret, lassescens ac deficiens subdidit: *Confortata est, nec potero ad eam* **(Ibid.)**. Sed cum conantes atque tendentes quiddam jam de invisibili natura conspicere cupimus, lassamur, reverberamur, repellimur; et si interiora penetrare non possumus, tamen jam ab exteriore ostio interius ostium videmus. Ipse enim considerationis labor ostium est, quia ostendit aliquid ex eo quod intus est, etsi adhuc ingrediendi potestas non est. Sequitur:

VERS. 14.---*Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et ad frontem atrium portae undique per circuitum.*

12. Saepe jam diximus **(Hom. 2, lib. II, n. 7, seq.)** senario numero perfectionem boni operis designari, non illud sequentes quod conati sunt hujus saeculi sapientes astruere,

dicentes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, senarius numerus impleatur; vel quia in tribus partibus dividitur, id est sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno, duobus et tribus; sed idcirco senarium numerum dicimus esse perfectum, quia, sicut paulo ante dictum est, sexto die perfecit Deus omnia opera sua **(Genes. I, 21; II, 1)**. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quae in decem praeceptis scripta est, et sex decies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte etiam Dominus in Evangelio designat, qui, cum parabolam seminantis exponeret, dixit: *Aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, et unum sexaginta, et unum centum* **(Matth. XIII, 8; Marc. IV, 8; Luc. VIII, 8)**. Fructus etenim terrae bonae triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quae est in Trinitate, conceperit. Sexaginta affert, cum bonae vitae opera perfecta protulerit. Centum vero affert, cum ad aeternae vitae contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita praesens, dextera vero est vita ventura. Et recte per centenarium numerum aeternae vitae contemplatio designatur, quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computando pervenimus, idem centenarius numerus in dexteram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, et credimus quod non videmus, et operamur ut videamus. Cum vero jam se animus in contemplationem aeternae vitae suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit. Fecit itaque frontes per sexaginta cubitos. Quia enim per sexagenarium numerum perfectio, quid per frontes aedificii nisi ipsa opera designantur quae exterius videntur? Praedicationis enim **1359** verbum

tribuere, alimenta esurientibus, vestimenta algentibus dare, et pro bono opere patienter adversa sustinere, quid aliud quam frontes sunt aedificii coelestis? quia pulchritudo operum exteriorum ornat habitaculum Dei, quod adhuc latet intrinsecus. Sed istae frontes habent atrium undique per circuitum, quia in hoc magna sunt opera, si haec in mente dilatat amplitudo charitatis. De charitate quippe scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis* **(Psal. CXVIII, 96)**. De hac iterum Psalmista ait: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* **(Psal. XXX, 9)**.

13. Sed ecce, dum loquor, animo occurrit quomodo lata est charitas. Si per charitatem pertingitur ad Deum, et per semetipsam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* **(Matth. VII, 13)**. Et rursum Psalmistam audio dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* **(Psal. XVI, 4)**. Atque in Evangelio Dominus dicit: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* **(Matth. XI, 30)**. Quomodo ergo aut lata charitas, si angusta porta? aut quomodo jugum suave est et onus leve, si in praeceptis Dei viae durae sunt quae custodiuntur? Sed hanc nobis quaestionem citius ipsa charitas solvit, quia via Dei et inchoantibus angusta est, et perfecte jam viventibus lata. Et dura sunt quae contra consuetudinem spiritaliter animo proponimus, et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre coeperimus, ita ut pro amore ejus etiam persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat, sicut sancti quoque apostoli gaudebant cum pro Domino flagella tolerabant **(Act. V, 41)**. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsae viae durae spiritaliter currentibus molles et planae fiunt; dum enim scit animus se pro temporalibus doloribus

gaudia aeterna recipere, et hoc incipit quod affligitur amare. Atrium ergo ante frontes ejus est in perfectione operis latitudo dilectionis.

14. Et notandum quod dicitur *Undique per circuitum,* ut videlicet homo per omne quod agit semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor aut odia angustent. Si quis ergo de verbo Dei loquitur, et charitatem quam praedicat in mente non servat, aedificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Si quis eleemosynam indigentibus largitur, et per hanc fortasse in corde extollitur, nec ex charitate proximi inopiae subvenit, sed se elatione tacita extollit, frontem quidem in aedificio ostendit, sed juxta frontem atrium non fecit. Si quis illatas a proximo contumelias tolerat, et mala objecta tacitus portat, magna est patientia quam demonstrat, sed si dolorem in corde non habeat, si lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis etiam ipsum qui male excesserat quaerat. Nam si patientiam exterius adhibens intus dolorem tenet, nec amat eum quem sustinet, habet quidem frontem in aedificio, sed ante frontem atrium non habet, quia is qui se angustiae odiorum subdidit, profecto charitatis latitudinem amisit. Nam sicut in superiori parte jam diximus **(Hom. 9, maxime n. 22, seq.)**, patientia ea vera est quae et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Et notandum quod hoc ipsum atrium portae **1360** dicitur. Porta quippe nostra est aditus ad regnum. Et Deum ac proximum perfecte amare jam ad ingressum regni est tendere. In quantum enim quisque amat, in tantum ad ingressum propinquat. In quantum vero amare negligit, in tantum ingredi recusat, quia nec studet videre quod appetit. Tunc ergo

habemus atrium portae, quando ex latitudine charitatis ad supernam vitam quam adhuc contingere minime possumus jam per desiderium intramus. Itaque cum bonum opus erga proximum agitur, restat ut ejusdem boni operis intentio discernatur, si non praesentis gratiae retributionem quaerit, sed spem suam animus ad futuram promissionem tendit, ut ex temporalibus aeterna, ex terrenis coelestia speret. Spes enim coelestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum. De qua et per Paulum dicitur: *Quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis* **(Hebr. VI, 19)**. De quibus interioribus hic quoque subjungitur:

VERS. 15.---*Et ante faciem portae quae pertingebat usque ad faciem vestibuli portae interioris, quinquaginta cubitos.*

15. Hoc quod hoc loco dicitur, *Ante faciem portae,* non exterior, sed interior ante portam locus describitur, dum usque ad faciem vestibuli portae interioris pertingere perhibetur. Unde et idem locus quinquaginta cubitis dicitur mensuratus. Per quinquagenarium enim numerum requies aeterna signatur. Habet enim septenarius numerus perfectionem suam, quia eo die dierum numerus est completus. Et per legem Sabbatum in requiem datum est **(Exod. XX, 8, 10)**. Ipse autem septenarius numerus per semetipsum multiplicatus ad quadraginta et novem ducitur, cui si monas additur, ad quinquagenarium pervenitur, quia omnis nostra perfectio in illius unius contemplatione erit, in cujus nobis visione jam minus aliquid salutis et gaudii non erit. Hinc etiam jubilaeus, id est annus quinquagesimus, in requiem datus est, quia quisquis ad omnipotentis Dei gaudia aeterna pervenerit, laborem et gemitum ulterius non habebit.

16. Notandum vero quia locus qui describitur per quinquaginta cubitos tendi, ad faciem vestibuli portae interioris pertingere memoratur. Non ergo hoc loco propheta jam ipsum vestibulum portae interioris, sed locum interius qui tendit ad vestibulum portae interioris, narrat. Per quem locum utique, sicut diximus, spes nostra signatur, quae dum aeternam requiem quaerit, mentem ad vestibulum portae interioris ducit. Hoc ipsum enim, quod desideramus coelestia, quod ad promissa gaudia suspiramus, quod aeternae vitae requiem quaerimus, jam ad interioris vestibuli faciem propinquamus. Signetur ergo per portam fides, per atrium charitas, per locum vero qui ad faciem vestibuli portae interioris propinquat figuretur spes, sine quibus tribus virtutibus quisquis jam uti ratione potest, ingredi ad coeleste aedificium non potest. Habeatur ergo fides in porta, quae introducit ad intelligentiam, charitas in atrio, quae mentem dilatat in amorem; spes in loco **1361** qui quinquaginta describitur cubitis, quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis. De qua quiete etsi adhuc, sicut est, veritatis lumen non cernimus, jam tamen per rimas intelligentiae aliquid videmus. Unde et hic subditur:

VERS. 16.---*Et fenestras obliquas in thalamis.*

17. In fenestris obliquis pars illa per quam lumen intrat angusta est, sed pars interior quae lumen suscipit lata, quia mentes contemplantium quamvis aliquid tenuitur de vero lumine videant, in semetipsis tamen magna amplitudine dilatantur. Quae videlicet et ipsa quae conspiciunt capere pauca vix possunt. Exiguum quippe valde est quod de aeternitate contemplantes vident, sed ex ipso exiguo laxatur

sinus mentium in augmentum fervoris et amoris; et inde apud se amplae fiunt, unde ad se veritatis lumen quasi per angustias admittunt. Quae magnitudo contemplationis, quia concedi nonnisi amantibus potest, in thalamis obliquae fenestrae esse perhibentur, vel in his quae juxta thalamos non jam extrinsecus, sed esse intrinsecus dicuntur. Nam de eisdem fenestris subditur:

IBID.---*Et in frontibus eorum quae erant intra portam undique per circuitum.*

18. Erant enim in thalamis, erant et in frontibus eorum, quae intra portam undique per circuitum fuerant constructa, quia qui cor intus habet, ipse quoque lumen contemplationis suscipit. Nam qui adhuc exteriora immoderatius cogitant, quae sint de aeterno lumine rimae contemplationis ignorant. Neque enim cum corporearum rerum imaginibus illa infusio incorporeae lucis capitur, quia dum sola visibilia cogitantur, lumen invisibile ad mentem non admittitur. Sed quisquis jam lumini contemplationis intendit, curare magnopere debet, ut mentem semper in humilitate custodiat, nunquam se de gratia qua infunditur extollat, et ipsas quae mentes contemplantium signant quales sint obliquae fenestrae consideret. Per obliquas etenim fenestras lumen intrat, et fur non intrat, quia hi qui vere speculatores sunt semper sensum in humilitate deprimunt, atque ad eorum mentes intelligentia contemplationis intrat, sed jactantia elationis non intrat. Et patent itaque fenestrae, et munitae sunt, quia et aperta est in mentibus eorum gratia qua replentur, et tamen ad se adversarium ingredi per superbiam non permittunt.

19. Notandum vero quod intra portam undique per circuitum fenestrae obliquae esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur et minimis non datur, sed saepe hanc summi, saepe minimi, saepius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest, quia intra portam undique per circuitum fenestrae obliquae constructae sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur. Nullus se donum veri luminis **1362** aestimet habere privatum, quia in eo quod se habere praecipuum putat, saepe alter est ditior, quem habere apud se boni aliquid non putabat. Unde hic quoque adhuc apte subjungitur:

IBID.---*Similiter autem erant et in vestibulis fenestrae per gyrum intrinsecus.*

20. Postquam dixit fenestras in frontibus, adjungit fenestras in vestibulis per gyrum intrinsecus, quia non solum alta sanctae Ecclesiae membra quae praeeminent habent contemplationis gratiam, sed plerumque hoc donum etiam illa membra percipiunt quae, etsi jam per desiderium ad summa emicant, tamen adhuc per officium in imo jacent. Nisi enim et his qui despecti videntur omnipotens Deus lumen contemplationis infunderet, fenestrae in vestibulis non fuissent. Videmus itaque alios in summis locis sanctae Ecclesiae constitutos alta de coelestibus loqui, miro studio, in quantum illustrata mens sufficit, supernae patriae secreta rimari: fenestrae sunt in frontibus. A ii vero in sanctae Ecclesiae sinu continentur, et despecti humanis oculis videntur, sed apud se sapientiae studiis vacant, ad coelestia anhelant, atque, in quantum

praevalent, quae sint gaudia aeterna considerant: fenestrae itaque obliquae sunt, sed in vestibulis.

21. Bene autem dicitur *per gyrum,* quia omnis inquisitio secretarum rerum gyrum habet, dum in cogitatione sua dicit animus: Putasne hoc? putasne illud est? Quasi circuit, ut inveniat quod quaerit. Cui cum incircumscriptum lumen erumpere in cognitione coeperit, quasi per obliquam fenestram radius veritatis venit. Sic quippe in contemplatione nostra multa cogitationibus circumeundo proficimus, sicut exempla bonorum saepe quaerimus, ut in moribus proficiamus. Nam cum jam cogitat animus ad meliora transire, quidquid melius de aliis audire possit exquirit, nunc hujus, nunc sancti alterius vitam ventilat. Unde et electus quidam, qui in expanso sinu sanctae Ecclesiae per universum mundum mentis oculos miserat, bonorum vitam ad imitationem requirens, dicebat: *Circuibo et immolabo in tabernaculo Dei hostiam jubilationis* **(Psal. XXVI, 6)**. Ecce ut immolaret jubilationis hostiam circuibat, quia nisi animum huc illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipse usque ad jubilationis sacrificium non perveniret. Cum vero sancti viri intra sanctam Ecclesiam ad loca summa perducuntur, eorum vita quasi in speculo ponitur, ut cuncti videant bona quae debeant imitari. Unde et adhuc apte subjungitur:

IBID.---*Et ante frontes pictura palmarum.*

22. Quid per palmas, nisi praemia victoriae designantur? Ipsae quippe dari vincentibus solent. Unde et de his qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, et jam victores in patria gaudebant, scriptum est: *Et palmae in manibus eorum, et*

clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno **(Apoc. VII, 9)**. Palmas quippe in manibus habere est victorias in operatione tenuisse. Cujus operationis palma ibi retribuitur, ubi jam sine certamine gaudetur. **1363** Unde et hic non dicitur: Palmae ante frontes, sed *ante frontes pictura palmarum.* Ibi enim victoriae palma videbitur, ubi jam sine fine gaudebitur. Nam hic plerumque sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, daemonia ejicere, tactu aegritudines corporum fugare, prophetiae spiritu ventura praedicere. Cuncta haec necdum palmae sunt, sed adhuc pictura palmarum, nam haec aliquando dantur et reprobis. Unde et per Evangelium Veritas dicit: *Multi dicent mihi in die illa: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine daemonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite a me qui operamini iniquitatem* **(Matth. VII, 22, 23)**. Unum vero signum electionis est soliditas charitatis, sicut scriptum est: *In hoc scietur quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* **(Joan. XIII, 35)**. Haec autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis faciunt, quia quod electi ex charitate, hoc reprobi student agere per elationem. Sed eisdem electis et ipsa mira quae per charitatem faciunt, non jam palmae, sed adhuc pictura palmarum, quia de eis foris ostenditur quales apud omnipotentem Dominum **1364** intus habeantur. Ibi autem eis palma erit, ubi jam mortis contentio non erit. Nam praedicator egregius tunc aspexit palmam veram vincentibus dari, cum resurrectionem praevidit mortuorum fieri, sicut dicit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit*

immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus **(I Cor. XV, 53, seq.)**? Tunc ergo erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta. In omne autem quod modo mirabiliter de signis agi conspicimus, non jam ipsam victoriam, sed adhuc imagines victoriae videmus. Quia ergo plerumque sanctis etiam et in locis sublimioribus positis, ut ad bona opera alii provocentur, virtutes et signa dantur, ante frontes interioris aedificii palmarum pictura ostenditur. Haec hodierno die tractata sufficiant, ut ad ea quae subjuncta sunt, valentiores, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, veniamus, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI. *Tres duntaxat versus explicantur, et quanta in Christianis, maxime vero in apostolis, perfectio eluxerit ostenditur.*

1363 1. Postquam de contemplationis gratia obliquas fenestras insinuans propheta multa locutus est, eductum se exterius dicit, et gazophylacia vidisse commemorat. In quibus gazophylaciis quid aliud quam doctorum scientia designatur? Sed recte hac in re quaeri potest, cum doctores sancti spiritalia atque interna doceant, cur propheta eductum se exterius dicit, et gazophylacia foris vidisse? Sed sciendum est quia alia est contemplatio quae tantum videt quantum dicere non valet, alia vero scientia atque doctrina, quae tantum videt, quantum exprimere per linguam possit. In comparatione quippe illius

luminis quod voce exprimi non potest quasi hoc totum foris est quod exprimi voce potest. Ait itaque:

EZECH. XL, 17.---*Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrium per circuitum.*

2. Quia sermone Graeco φυλάττειν servare dicitur, et gazae lingua Persica divitiae vocantur, gazophylacium locus appellari solet quo divitiae servantur. Quid itaque per gazophylacia designatur, nisi, ut praediximus, corda doctorum sapientiae atque scientiae divitiis plena? Quia, juxta Pauli vocem: *Alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae in eodem spiritu* **(I Cor. XII, 3)**. Sunt enim quidam qui per donum gratiae et ipsa intelligunt quae exponi a doctoribus non audierunt; hi videlicet **1364** sermonem sapientiae perceperunt. Et sunt quidam qui per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea quae in expositoribus legerint retinent, atque scienter proferunt quae lecta didicerunt. Unde itaque isti nisi sermone scientiae pleni sunt? Quamvis hoc intelligi et aliter possit, quia sapientia ad vitam, scientia vero pertinet ad doctrinam. Qui igitur bene vivit, et prudenter praedicat, gazophylacium spiritalis aedificii recte nominatur, quia ab ejus ore coelestes divitiae dispensantur. His divitiis abundare discipulos idem magister gentium viderat, cum dicebat: *Divites facti estis in illo, in omni verbo et omni scientia* **(I Cor. I, 5)**. Sunt itaque in sanctae Ecclesiae aedificio constructa gazophylacia, quia abundat divitiis scientiae lingua doctorum. Has veras esse divitias ipsa per se Veritas denuntiat, cum de transitoriis divitiis dicit: *Fallacia divitiarum suffocat verbum* **(Matth. XIII, 22)**. Sapientia etenim atque scientia doctrinae spiritalis verae sunt divitiae,

in quarum comparatione quae transire possunt falsae nominantur. De his divitiis per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* **(Prov. XXI, 20)**. Excepto autem eo; quod ad aeternam patriam divitiae spiritales ducunt, est eis a terrenis divitiis magna distantia, quia spiritales divitiae erogatae proficiunt, terrenae autem divitiae aut erogantur et deficiunt, aut retinentur et utiles non sunt. Qui ergo has in se veras divitias continent, recte gazophylacia dicuntur.

1365 3. Et habent ipsa gazophylacia pavimentum per circuitum, quia eis adhaeret ac subjacet humilitas auditorum. Quod pavimentum recte stratum lapide in atrium dicitur, quia in latitudinem charitatis vicissim sibi junctae sunt animae fideles. Quae et lapides appellantur in fortitudine fidei, et stratae in pavimento sunt in compage humilitatis. Has fidelium mentes Petrus apostolus fortes in fide conspexerat, cum dicebat: *Et vos tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritalis* **(I Petr. II, 5)**. De his lapidibus sanctae Ecclesiae Dominus per Isaiam dicit: *Ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos universos terminos tuos, in lapides desiderabiles omnes filios tuos doctos a Domino* **(Isai. LIV, 12)**. Omnipotens enim Deus sanctae Ecclesiae propugnacula jaspidem, qui lapis viridis coloris est, posuit, quia praedicatorum illius mentes internae viriditatis amore solidavit, ut transitoria cuncta despiciant, nihil in hoc mundo qui fine clauditur appetant, cuncta ejus gaudia velut arida contemnant. Unde et ipse pastor Ecclesiae, auditores suos ad pascua aeternae viriditatis vocans, de Deo loquitur, dicens: *Secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per*

resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in coelis **(I Petr. I, 3, 4)**.

4. Hujus sanctae Ecclesiae portae in sculptos lapides ponuntur, quia hi, per quorum nos vocem ad vitam aeternam ingredimur, sancta opera quae divinitus praecepta sunt, dum in semetipsis ostenderent, quasi in se sculpta tenuerunt. Portae etenim non sculptae, sed purae essent, si vocem quidem promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent. At ubi secundum hoc se ostendunt vivere quod loquuntur, et portae sunt, quia intus ducunt; et sculptae, quia vivendo custodiunt quae aliis loquuntur. Hujus sanctae Ecclesiae universos terminos in lapides desiderabiles positos videmus, dum in ea fideles quosque fortes in fide et charitate conspicimus. Qui, ut quos dixerit lapides demonstraret, adjunxit: *Omnes filios tuos doctos a Domino* **(Isai. LIV, 13)**. Quod ergo Isaias universos terminos Ecclesiae lapides desiderabiles vidit, hoc Ezechiel pavimentum lapide stratum per circuitum esse perhibuit, quia adhuc de gazophylaciis subdit:

IBID.---*Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.*

5. Denarius numerus pro perfectione semper accipitur, quia in decem praeceptis legis custodia continetur. Activa etenim ac contemplativa vita simul in Decalogi mandatis conjuncta est, quia in eo et amor Dei, et amor servari proximi jubetur. Amor quippe Dei ad contemplativam, amor vero proximi pertinet ad activam. Sed unusquisque doctor, ut in activam vitam plene se dilatet, atque in contemplativam vigilanter surgat, in sanctae Trinitatis fide debet esse perfectus. Unde et eadem gazophylacia triginta esse commemorantur, ut cum

denarius ter ducitur, vita et lingua doctoris in Trinitate solidetur.

6. Sed hac in re illud nobis est vigilanter intuendum, **1366** quod propheta, dum gazophylacia descripsisset, adjunxit: *Pavimentum per circuitum.* Atque inferius subjunxit: *Gazophylacia in circuitu pavimenti.* Quatenus et gazophylacia in circuitu pavimenti, et pavimentum in circuitu gazophylaciorum esse videatur. Pavimentum quippe et gazophylacia eo sunt ordine distincta, ut gazophylacia inter pavimentum et pavimentum inter gazophylacia fuerit stratum. Non hoc, fratres, sine magno mysterio est, quod in circuitu gazophylaciorum dicitur esse pavimentum, et in circuitu pavimenti narrantur esse gazophylacia. Habet enim pavimentum in circuitu gazophylacia, quia vitam audientium erudit quotidie et custodit lingua doctorum. Doctores etenim boni in sanctae eruditionis verbis modo fomentis dulcedinis, modo asperitate increpationis invigilant, ut auditorum suorum vitam a vitiis defendant. Sed habent ipsa quoque gazophylacia in circuitu pavimentum, quia saepe etiam doctorum cor vitiorum tentationibus tangitur, ut modo elevetur jactationis superbia, modo irae stimulis inflammetur. Sed cum bonorum auditorum vitam considerant, eamque profecisse suis exhortationibus pensant, erubescunt tales non esse quales auctore Deo per se conspiciunt alios factos esse, et ante se in mente stabiliunt quam plene in culpam labantur. Nam cum ipsa sua doctoribus verba ad memoriam redeunt, erubescunt non servare quod dicunt. Unde per Salomonem quoque dicitur: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum* **(Prov. XVI, 26)**. Os enim nostrum nos compellit ad laborem,

quando per hoc quod dicimus a vitiis refrenamur, quia turpe nimis est ibi nos negligendo cadere, unde praedicando conati sumus alios levare. Habent ergo gazophylacia in circuitu pavimentum, quia doctorum magna custodia est vita venerabilis auditorum. Et suus eis sermo fit in adjutorium, quia erubescunt pulsantibus vitiis non resistere, qui contra vitia alios armaverunt.

7. Quia enim quandiu in hac vita vivimus, contra malignos spiritus quid aliud quam in acie stamus? sicut praediximus, doctoris animus forsitan aliqua elatione pulsatur. Sed sive ne ipse pereat, sive ne per exemplum suum alios ad perditionem trahat, vigilanter se et festine circumspicit, in cogitationibus remordet; adducta auditorum suorum vita ad memoriam, semetipsum humiliat, et quibus praevalet modis agit ne elatio principetur in mente, ne dominetur in opere. Scriptum quippe est: *Initium omnis peccati superbia* **(Eccl. X, 15)**. Quis ergo erit ante Dei oculos fructus boni operis, si ex radice putruit elationis? Saepe, ut praedictum est, ejus animus tentatur ex ira; sed citius se ad se circumspiciendo recolligit, et disciplinae se pondere deprimens agit ne motus animi transeat in sermone, ne erumpat in voce. Fitque ut ira perturbati animi, ubi per negligentiam oritur, ibi per judicium suffocata moriatur. Qua ex re agitur ut ex concepta culpa animus virtutem pariat, quia etsi se fortiter custodire noluit ne ad motum surgeret, se tamen in commotione **1367** fortiter vicit. Unde bene per Salomonem dicitur: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* **(Prov. XVI, 32)**. Recte autem expugnatori urbium patiens praefertur, quia in illa actione victoriae homo victor

est hominum, in hac autem mansuetudine patientiae animus victor est sui. Sequitur:

VERS. 28.---*Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius.*

8. Si portarum longitudinem ad locum referimus in quo portae fuerant constructae, secundum longitudinem portarum pavimentum erat inferius, quia quantum tenere locus portarum poterat, tantum tendebatur et pavimentum quod erat inferius. Longitudo ergo pavimenti a portis non erat dissimilis, sed tamen aequalitas pavimenti non erat cum portis. Quid est ergo quod pavimentum cum portis longum similiter erat, sed aequale non erat, nisi quod longe distat vita populorum a vita docentium? Quia etsi ad regna coelestia tendentes eamdem longanimitatem spei habent, eadem tamen vivendi studia non habent. Tendatur ergo pavimentum similiter in longum, quia ipsam fidem, ipsam spem in se retinent auditores, quam habere certum est praedicatores. Sed pavimentum inferius jaceat, ut omnes auditores praedicatores suos longe a suis meritis excellere cognoscant. Sin vero longitudinem portarum ipsam, sicut superius diximus, earum altitudinem intelligere debemus, dum, sicut paulo post scriptum est, ad portas gradibus ascendebatur, tanto pavimentum jacet inferius quanto unaquaeque porta surgit in altitudinem. Quia quanto sanctior est vita doctoris, tanto fit humilior sensus audientis. Et semetipsum despicit, dum praedicatoris sui vitam in magnam surgere altitudinem perpendit. Imitari etenim bona ejus alia forsitan potest, alia non potest. In quibus praevalet, proficit; in quibus minime praevalet, ad humilitatem crescit. Et hoc ipsum ergo ei in provectu est, quod ei imitabile ad provectum non est.

9. Ecce enim si praedicatorum nostrorum ea quae legimus dicta et facta pensamus, in quantam altitudinem surrexerint portae cognoscimus. Ut enim taceamus de ostensione signorum, loquamur de virtutibus cordium. Certe Paulus, qui se legi mortuum per legem dicit, quia ut in Christum crederet, ei hoc et lex ipsa praedicavit **(Rom. II, 10)**, magno fidei ardore succensus, praecepta legis tenere carnaliter noluit, circumcisionem in gentibus fieri vetuit. Et cum Petrus apostolus servari adhuc in circumcisione legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitit, eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit **(Galat. II, 11)**. Et hoc ejus studium, discipulis loquens, non solum culpam, sed, quod est majus, hypocrisim, id est simulationem, nominat, dicens: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat* **(Ibid., 11)**. Et paulo post: *Et simulationi ejus consenserunt caeteri Judaei* **(Ibid., 13)**. Idem vero apostolorum primus cum multa discipulos admoneret, atque a quibusdam detrahi de Pauli scriptis agnosceret, dicit: *Sicut charissimus frater noster* **1368** *Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem* **(II Pet. III, 1)**. Ecce Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem, et ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quae scripserat, admirandum. Certe enim nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehensus est, atque ei et hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat quae aliter quam debuerat sensit. Seque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in

eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc praeiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine esset primus et in humilitate. Pensate ergo, fratres charissimi, in quo mentis vertice stetit qui illas Epistolas laudavit in quibus scriptum se vituperabilem invenit. Quae illa mansuetudo tanta esse potuit, quae quies animi, quae soliditas mentis, atque imperturbatio cogitationis? Ecce a minore suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat quod primus in apostolatum vocatus sit, non quod claves regni coelestis acceperit, non quod peccata quaecunque in terra solveret, essent soluta et in coelo **(Matth. IV, 18; XVI, 19, seq.)**, non quod in mare pedibus ambulavit **(Matth. XIV, 29)**, non quod paralyticos in Jesu nomine jubendo erexerat **(Act. IX, 33)**, non quod aegros corporis sui umbra sanaverat **(Ibid. V, 15)**, non quod mentientes verbo occiderat **(Ibid. V, 10)**, non quod mortuos oratione suscitabat **(Ibid. IX, 40)**. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quae acceperat quasi a memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. Quis rogo nostrum, si vel extremum aliquod signum fecisset a minori fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nihil enim signi fecimus, et si quis nos fortasse de actione nostra reprehenderit, statim intumescimus, magnos quosdam nos tacite cogitamus, virtutes nobis ad animum reducimus, etiam quas non habemus. At contra Petrus cum virtutibus humilis in reprehensione permansit, sed porta surrexit in altitudinem. Hanc autem tantam mansuetudinem nos imitari non possumus; sed quia pavimentum sumus, longe inferius jacemus.

10. Sunt vero nonnulli qui non Petrum apostolorum principem, sed quemdam alium eo nomine qui a Paulo sit reprehensus accipiunt. Qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim Paulus: *Cum venisset Petrus Antiochiam, ei in faciem restiti* **(Galat. II, 11)**, ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipso suae narrationis initio praemisit, dicens: *Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* **(Ibid., 7, 8)**. Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem et apostolum nominat, et praefuisse Evangelio circumcisionis narrat.

11. Et fuerunt quidam qui secundam Petri Epistolam, **1369** in qua Epistolae Pauli laudatae sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejusdem Epistolae verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuerant. In ea quippe scriptum est: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* **(II Petr. I, 17)**. Atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto* **(Ibid., 18)**. Legant itaque Evangelium, et protinus agnoscent quia cum vox ista de coelo venit, Petrus apostolus in monte cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit qui hanc vocem in monte de Domino audivit.

12. Sed quia pauca de Petro diximus, nunc si placet, ad Pauli mansuetudinem convertamur, et pensemus si possumus ille qui tanti ardoris est in zelo praedicationis, ut apostolorum quoque primo non parceret, quantae fuerit mansuetudinis in studio longanimitatis. Taceamus autem quod ter virgis caesus est, quia semel lapidatus est, quia ter naufragium fecit, quia

nocte ac die in profundo maris fuit, quia a Judaeis quinquies quadragenas una minus accepit **(II Cor. XI, 2, 3, seq.)**. Minus enim animum ad iracundiam commovent ea mala, quae nobis ab apertis adversariis irrogantur: hoc plus solet dolere, quod a propriis patimur. Unde et per Psalmistam ipsa Veritas contra traditorem suum loquitur, dicens: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem utique. Tu vero unanimis dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* **(Psal. LIV, 15)**. Pensemus ergo, si possumus, Paulus apostolus, qui tantum patiens inter persecutores, quantum mansuetus inter discipulos fuerit. Certe Corinthum veniens, ab idolorum servitio Corinthios retraxit, quis esset verus Deus innotuit, et aeternae eis vitae gaudia praedicavit. Et cum magnam multitudinem populi in fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret. Et panem terrae a discipulis non accepit, quibus panem coeli praedicavit. Insistebat verbo pro vita audientium, insistebat labori manuum pro vita corporis sui **(I Cor. IV, 12; I Thess. II, 9; II Thess. III, 8)**. De terris quoque aliis stipendia ei a discipulis mittebantur, ut Corinthiis praedicare sufficeret. Ipse quippe ad eosdem Corinthios post per Epistolam loquitur, dicens: *Cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia* **(II Cor. XI, 9)**. Quibus ad magnum quoque improperium praemisit, dicens: *Alias Ecclesias spoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum* **(Ibid. 8)**. Pensemus ergo, si possumus, cujus hoc mansuetudinis fuerit, panem spiritus praedicare, et panem carnis non accipere; corda audientium de divitiis aeternis instruere, et inter eosdem discipulos fideles et abundantes fame laborare; inter satiatos pati inopiam, nec

tamen quod patiebatur dicere; quae patiebatur non dicere, nec tamen dolere; videre dura erga se corda auditorum tenacium, nec a praedicatione desistere. Nam sicut apostolorum Acta testantur, anno et sex mensibus continue in eadem civitate praedicavit **(Act. XVIII, 11)**. Cumque ab eisdem Corinthiis recessisset, ad eos postmodum scripsit quod apud eos positus pertulit **(II Cor. XI, 23 seq.)**. Quare autem hoc eis **1370** cum inter eos viveret, nunquam dixit? Ne scilicet quod erga eum factum ex bona voluntate non fuerat, fieret ex jussione; et cum innotesceret eorum misericordia, remaneret voluntas ignota. Quare autem hoc postmodum longe positus scribit? Ne omnimodo discipuli incorrecti remanerent, et quales magistro in tenacia fuerant, aliis quoque fratribus tales essent. Vere in hoc Paulus, vere magister gentilium, sua negligens, aliena curans, implevit quod praedicaverat: *Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius. Et non quae sua sunt singuli cogitantes, sed ea quae aliorum* **(I Cor. X, 24)**. Quanta itaque ista mansuetudinis virtus est? Quanta tranquillitas spiritus? Quis autem nostrum, si unum hujus mundi divitem ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, et illum sibi vitae subsidia non praebere, non protinus de ejus vita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret! Quis non ab ejus exhortatione obmutesceret, quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret?

13. Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, praedicavit, dilexit, et bonum quod coeperat explevit, atque portando et persistendo discipulorum corda ad misericordiam perduxit **(II Cor. IX, 3, 4, seq.)**. Nam eorum profectum postmodum scire se indicans, in eadem

Epistola scribit: *De ministerio quod fit in sanctos ex abundantia est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedonas, quoniam Achaia parata est ab anno priore, et vestra aemulatio provocavit plurimos* **(Ibid., 1)**. De quibus rursus ait: *Qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore* **(II Cor. VIII, 10)**. In quibus enim non tam opera quam pia vota requirebat, in eis procul dubio plus laudat pia vota quam opera. Notandum tamen est quia habet improperium haec ipsa consolatio, cum dicitur: *Ab anno priore*. Bonum quidem, sed tarde fecerant, atque ideo hoc magister non sine reprehensione laudabat. Medicus quippe est, medicamentum vulneri apponit, quod et ea quae purgata sunt refovet et ea quae putrida inveniuntur mordet. Sed haec tolerando atque praedicando, explevit quod coepit. Et mira longanimitatis virtute discipulorum duritiam emollivit ad misericordiae viscera, quia longitudo portae surrexit in altitudinem. Sed infirmi nos ad imitandum tantae mansuetudinis longanimitatem idonei non sumus, quia videlicet pavimentum sumus, et despecti in nostris moribus jacemus.

14. Ecce autem dum de duobus ducibus coelestis exercitus loquor, martyr quoque Stephanus memoriae occurrit, qui tentus pro Creatoris sui nomine, et in medium persecutorum deductus, imperterritus stetit, fiducialiter docuit, et ex zelo veritatis persecutores suos fortiter increpavit, dicens: *Vos semper Spiritui sancto restitistis* **(Act. VII, 51)**. Cumque illi ad lapides currerent, et eum lapidibus necarent, flexo genu pro eisdem persecutoribus oravit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* **(Ibid., 59)**. Quae itaque ista virtus est, sic zelo fervere, ut eis a quibus tenebatur perfidiae suae improperia

fiducialiter diceret; et sic diligere, ut in morte quoque **1371** pro eis a quibus moriebatur oraret? Sic quippe ex zelo inferbuit, ac si mansuetudinis nihil haberet; et sic mansuetus in eorum dilectione perstitit, ac si contra eos fervoris nihil habuisset. Pensemus inter haec ubi nostrae conscientiae reatus jacet. Quis enim nostrum, si saltem verbi contumeliam a proximo acceperit, non statim contumeliam reddit, non funditus commovetur, non ad odium erumpit, non praeceptum dilectionis obliviscitur? Sed hoc beatus Stephanus ex omnipotentis Dei gratia potuit, quia surgens in altitudinem porta fuit. Hoc nos miseri nostra virtute imitari non possumus, quia longe inferius sicut pavimentum jacemus.

15. Quid autem nos in vita sanctorum de nostra admiratione dicimus, cum ipsi quoque antiqui patres praedicatorum sanctae Ecclesiae vitam considerantes, valde admirati sunt? An non eorum vitam Psalmista admiratus est, cum dicebat: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* **(Psal. CXXXVIII, 17)**? Quod de quibus ejus amicis dicat Evangelium interroga, in quo Veritas praedicatoribus dicit: *Vos amici mei estis* **(Joan. XV, 14)**. Isaias quoque eorum vitam intuens, ait: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas* **(Isai. LX, 8)**? Recte autem praedicatores sancti nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur, quia et in terra viventes extra terram fuerunt per omne quod egerunt. Unde et per quamdam nubem dicitur: *In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus* **(II Cor. X, 3)**? Priores enim patres conjugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Istos autem per prophetiae jam

spiritum praevidentes substantias deserere, conjugia non appetere, filios non procreare, nil in terra quaerere, nihil possidere, non eos per terram velut homines ambulantes, sed ut nubes volantes nominant. Velant etenim, quia mente ea quae sunt coelestia contemplantur. Qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt. Qui et ad fenestras suas quasi columbae sunt, quia per mansuetudinis suae spiritum in hoc mundo per oculos nil concupiscunt. Consideremus ergo quantae altitudinis istae spiritalis aedificii portae sunt, quas et spiritales patres admirantur. Quantum itaque nos in earum admiratione humiliari necesse est, qui pavimentum sumus? Sed quia sub longitudinis appellatione altitudinem portarum audivimus, nunc aliquid de earum latitudine cognoscamus. Sequitur:

VERS. 29.---*Et mensus est latitudinem a facie portae inferioris, usque ad fontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem et ad Aquilonem.*

16. In quibus verbis si portam aditum accipimus, quo ad cognitionem Domini intramus, porta inferior fides est, atrium vero interius contemplatio. Habet autem porta inferior latitudinem in facie, quia videlicet fides per charitatis suae amplitudinem habet eam quae videtur a proximis operationem. Quam dum fortiter a perfectioribus agi conspicimus, nos, qui in bonis actibus **1372** angustamur, exempla per eos magnae operationis accipimus. Et unaquaeque sancta actio quasi quaedam nobis fit latitudo itineris, quae prius erat angustia difficultatis. Habet quoque atrium interius frontem, quia contemplativa vita per quaedam signa desideriorum et gemituum ostendit quantum intus videat quae tantum amat. Denarius autem numerus per semetipsum

multiplicatus in centenarium surgit. Unde recte per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis Veritas dicit: *Omnis qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* **(Matth. XIX, 29)**. Neque etenim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut haec possidere in hoc mundo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit sed appetit. Nec qui unam uxorem deserit centum recepturus est; sed per centenarium numerum perfectio designatur, postquam etiam vita aeterna promittitur, quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, et hic perfectionem mentis recipit, ut jam ea non appetat quae contemnit, et in sequenti saeculo ad aeternae vitae gloriam pervenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi haec non habet. Ille enim pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam qui et non habens habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper. Mensus est ergo vir latitudinem a facie portae inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos, quia Redemptor noster quotidie per magistros atque doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem.

17. Multi etenim videntur in fide positi magna operari, sed in centum cubitis non mensurantur, quia per ipsa quae faciunt terrenam gloriam quaerunt. Et quidam videntur per abstinentiam cruciari, gemitibus insistere; sed eorum mensura

ad centum cubitos minime ducitur, quia in his quae agunt ab humano judicio favores requirunt. Quis ergo est qui per centum cubitos mensuratur, nisi is cujus bona operatio recta intentione utitur, ut in eo quod agit non ad terrena lucra appetenda aut ad laudes transitorias reflectatur?

18. Ecce enim misericordiam proximis exhibere, possessa largiri, cum celeritate indigenti tribuere, latitudo in facie portae inferioris est. Sed si tua dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, recte in centenario numero, id est in perfectione mensuraris. Nam qui videtur dare misericorditer propria, et rapit forsitan violenter aliena, iste adhuc quae sit via perfetionis ignorat, nec cognovit unde ad perfectionem tenditur, quia nec ipsum ejus initium invenit. Prius enim appetitum evellere a mente debuit, et postea quae jure possidet largiri. Unde scriptum est: *Declina a malo et fac bonam* **(Psal. XXXVI, 37)**. **1373** Quid enim potest esse boni quod facit, qui necdum a malo declinavit? Et sunt quidam qui, sicut dictum est, ab alimentis abstinent, carnem cruciant, sed tamen si pulsati fuerint, cognoscuntur quia ad mundi gloriam anhelent. Isti frontem atrii interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur.

19. Hi ergo in numero perfectionis sunt, de quibus per Paulum dicitur: *Qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* **(Galat. V, 24)**. Et notandum quia non dicitur quod intrinsecus, sed extrinsecus ista mensurantur, quia videlicet Redemptor noster cum per nos facta hominum vel approbat, vel judicat, non intrinsecus, sed extrinsecus metitur. Unde et per Evangelium dicit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* **(Matth. VII, 16)**. Qui enim per hoc quod videmus cognoscimus operantis animum quem non videmus, sive

latitudinem quae in facie portae est inferioris, sive frontem atrii interioris extrinsecus metimur. Cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflictis concurrere, oppressis subvenire, nihil eos in hoc mundo gloriae quaerere, nullis hujus mundi compendiis inhiare, atque alios videmus carnem domare, lacrymis insistere, verbis coelestibus occupari, nihil transitorii honoris appetere, quid aliud debemus nisi eos perfectos esse credere, sanctos aestimare? Quia ergo per hoc quod aspicimus eos perfectos esse videmus, eorum vitam per centum cubitos extrinsecus metimur.

20. Et quia multi in Judaea, plerique vero in gentilitate positi, ad hanc perfectionis summam pervenerunt, recte subjungitur: *Ad Orientem et ad Aquilonem.* Judaicus etenim populus Oriens jure dictus est, de cujus carne ille est natus, qui Sol justitiae vocatur. De quo per prophetam dicitur: *Vobis autem qui timetis Dominum, orietur Sol justitiae* **(Malac. IV, 2)**. Per Aquilonem vero gentilitas figuratur, quae diu in perfidiae suae frigore torpuit, et in cujus corde ille regnavit, qui, attestante propheta, apud semetipsum dixit: *Ponam sedem meam ad Aquilonem* **(Isai. XIV, 13)**. Quia itaque incarnatus omnipotens Deus alios perfectos ex Judaea, alios ex gentilitate perfectos intra sanctam Ecclesiam fecit, centum cubitos non solum ad Orientem mensus est, sed etiam ad Aquilonem.

21. Sed quia sub Aquilonis nomine de gentilitate sermo se intulit, considerare libet quantum super nos effusa sunt viscera Creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus. Antiqui parentes nostri lignis et lapidibus servierunt, et, derelinquentes Deum a quo facti sunt, deos venerati sunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam ad

lucem de tenebris educti sumus. Recolamus ergo de quibus tenebis venimus, ut de luce quam accepimus gratias agamus. Neque enim divinam misericordiam intelligit qui suae miseriae memor non est. Unde et per Psalmistam Deo dicitur: *Mirifica misericordias tuas, Domine, qui salvos facis sperantes in te* **(Psal. XVI, 7)**. Tunc enim nobis Dei misericordiae mirae fiunt, cum nobis ad memoriam miseriae nostrae revocantur, quia, recolentes quid fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Cantemus itaque cum gaudio Creatori nostro, quia de servitio creaturae colla mentis excussimus. Gaudeamus in nobis impletum esse quod **1374** per Isaiam dictum est: *Et frenum erroris quod erat in maxillis populorum, canticum erit vobis, sicut vox sanctificatae solemnitatis* **(Isai. XXX, 23, 29)**. Frenum quippe erroris maxillas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata gentilitas Deo vero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frenum jam nobis in canticum versum est, cum gaudendo psallimus atque cantamus: *Omnes dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit* **(Psal. XCV, 5)**. Et rursum: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt* **(Psal. CXIII, 29, seq.)**. Qui itaque haec omnipotenti Domino psallendo dicimus, ipsum erroris nostri frenum, quod a laude Dei ora nostra ligaverat, vero Domino canticum fecimus. Bene autem dicitur: *Sicut nox sanctificatae solemnitatis* **(Isai. XXX, 29)**, quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Respondeamus ergo moribus tantae misericordiae

Redemptoris nostri, et qui lucem cognovimus, pravorum operum tenebras declinemus.

22. Quid est jam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Ubique luctus aspicimus, undique gemitus audimus. Destructae urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit; et tamen ipsae parvae generis humani reliquiae adhuc quotidie et sine cessatione feriuntur. Et finem non habent flagella coelestis justitiae, quia nec inter flagella correctae sunt actionis culpae. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si et talem adhuc mundum diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem quae aliquando mundi domina esse videbatur qualis remanserit Roma conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum; ita ut in ea completum esse videamus quod contra urbem Samariam per hunc eumdem prophetam longe superius dicitur: *Pone ollam, pone, inquam, et mitte in ea aquam, et congere frusta ejus in ea* **(Ezech. XXIV, 4)**. Et paulo post: *Efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus* **(Ibid., 5)**. Atque iterum: *Congere ossa, quae igne succendam: consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat aes ejus* **(Ibid., 10, 11)**. Tunc enim nobis olla posita est, cum haec est civitas constituta. Tunc in eam aqua missa est, et frusta ejus congesta sunt, quando ad eam undique populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi fervescerent, et quasi frusta carnium in ipso suo fervore liquarentur. De qua bene

dicitur: *Efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa ejus in medio illius,* quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriae saecularis, sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim potentes saeculi, per carnes vero populi designantur, quia sicut carnes portantur ossibus, ita per potentes saeculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce jam de illa omnes hujus saeculi potentes ablati sunt; ossa ergo **1375** excocta sunt. Ecce populi defecerunt, carnes ejus liquefactae sunt. Dicatur itaque: *Congere ossa, quae igne succendam; consumentur carnes, et coquetur universa compositio ejus, et ossa tabescent.* Ubi enim senatus? Ubi jam populus? Contabuerunt ossa, consumptae sunt carnes, omnis in ea saecularium dignitatum fastus exstinctus est. Excocta est universa compositio ejus. Et tamen ipsos nos paucos qui remansimus adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumerae tribulationes premunt. Dicatur ergo: *Pone quoque eam super prunas vacuam.* Quia enim senatus deest, populus interiit, et tamen in paucis qui sunt dolores et gemitus quotidie multiplicantur, jam vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum, ruinis crebrescentibus, ipsa quoque destrui aedificia videmus? Unde apte de civitate jam vacua subditur: *Incalescat, et liquefiat aes ejus.* Jam enim et ipsa olla consumitur, in qua prius et carnes et ossa consumebantur, quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Ubi autem sunt qui in ejus aliquando gloria laetabantur? Ubi eorum pompa? Ubi superbia? Ubi frequens et immoderatum gaudium?

23. Impletum est in ea quod contra destructam Niniven per prophetam dicitur: *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum* **(Nahum. II, 11)**? An ejus duces ac

principes leones non erant, qui, per diversas mundi provincias discurrentes, praedam saeviendo et interficiendo rapiebant? Hic leonum catuli inveniebant pascua, quia pueri, adolescentes, juvenes saeculares, et saecularium filii huc undique concurrebant, cum proficere in hoc mundo voluissent. Sed jam ecce desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est. Jam nemo ad eam currit, ut in hoc mundo proficiat; jam nullus potens et violentus remansit, qui opprimendo praedam diripiat. Dicamus ergo: *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum?* Contigit ei **1376** quod de Judaea novimus per prophetam dictum: *Dilata calvitium tuum sicut Aquila* **(Mich. I, 16)**. Calvitium quippe hominis in solo capite fieri solet, calvitium vero Aquilae in toto fit corpore, quia cum valde senuerit, plumae ejus ac pennae ex omnibus membris illius cadunt. Calvitium ergo suum sicut Aquila dilatat, quia plumas perdidit, quae populum amisit. Alarum quoque pennae occiderunt, cum quibus volare ad praedam consueverat, quia omnes potentes ejus exstincti sunt, per quos aliena rapiebat **(Joan. Diac., l. IV, c. 66)**.

24. Haec autem quae de Romanae urbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi civitatibus scimus. Alia etenim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terrae hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc praesens saeculum vel exstinctum; finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine: imitemur bonorum facta quae possumus. Apud Orientem enim et Aquilonem multi sunt qui pro perfectione vitae centum cubitis mensurantur. Ex Judaea etenim et gentilitate, sicut dictum est, ad sanctitatis culmen excreverunt. Quamvis intelligi per

Orientem et Aquilonem etiam justi et peccatores possint. Oriens quippe non immerito justi nominantur, qui, sicut in luce fidei nati sunt, in innocentia perstiterunt. Per Aquilonem vero recte peccatores accipimus, qui mentis frigore dilapsi sub peccati sui umbra torpuerunt. Sed quia omnipotentis Dei misericordia etiam tales ad poenitentiam revocat, compunctione et lacrymis lavat, virtutibus ditat, et usque ad perfectionis gloriam sublevat, non solum ad Orientem centum cubiti, sed etiam ad Aquilonem ducuntur, dum cum justis etiam peccatores per dona et poenitentiam ad perfectionem veniunt, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VII [*Al., XIX*]. *Septem versuum, a 20 ad 27, explicationem complectitur, plurimaque simul exhibet praecepta moralia, de Spiritus sancti donis, gradibusque ad ea ducentibus, de vera perfectione ac de bonorum operum necessitate.*

1. Magna legentium debet esse discretio, ut in sacro eloquio cum quilibet unus sermo dicitur, non semper unam eamdemque rem significare credatur, sicut aliquando sol in bono, aliquando vero accipitur in malo. Solis etenim nomine aliquando ipse Redemptor noster signatur, aliquando persecutio. Attestante enim libro Sapientiae, in inferno impii dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, et sol justitiae non luxit*

nobis **(Sap. V, 6)**. Et de jactis seminibus Dominus dicit: *Orto sole aruerunt* **(Matth. XIII, 6)**, quia videlicet, facta persecutione, in reproborum cordibus praedicationis verba siccantur. Sic leo Dominum signat. Unde scriptum est: *Vicit leo de tribu Juda* **(Apoc. V, 5)**. Sic leonis nomine diaboli similitudo exprimitur, sicut per primum pastorem dicitur: *Adversarius vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit quaerens quem devoret* **(I Petr. V, 8)**. Sic bovis nomine sapiens designatur. Unde scriptum est: *Non junges bovem et asinum* **(Deut. XXII, 10)**, id est, sapientem cum stulto in praedicatione non socies. Sic per bovem fatuus figuratur, sicut de eo qui in turpitudine amoris captus est, dicitur: *Statimque eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam* **(Prov. VII, 22)**; id est, sicut fatuus trahitur ad mortem. Haec igitur dixi, ne quia por tam significare Dominum, vel praedicatores, vel Scripturam sacram, vel fidem exposui, ubicunque **1377** jam in hoc propheta porta legitur signare aliud non credatur. Cum enim de una porta propheta loqueretur, recte fides intellecta est, quia una est omnium electorum fides. Cum vero aliae portae nominantur, intelligi ora praedicatorum possunt, per quae vera vita cognoscitur, et per quae ascenditur ad sacramentorum spiritalium cognitionem. Nam porta per quam significari fidem diximus, notandum nobis est quia inferior appellatur. In hac enim vita dum sumus, quasi in imo positi adhuc inferius tenemur. Et recte inferior porta fides est, quia nobis in terra positis aperit cognitionem Dei. Itaque nunc dicitur:

VERS. 20-22.---*Portam quoque quae respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris mensus est tam in longitudine quam*

in latitudine. Et thalamos ejus tres hinc, et tres inde; et frontes ejus, et vestibulum ejus secundum mensuram portae prioris: quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti et quinque cubitorum. Fenestrae autem ejus, et vestibulum, et sculpturae secundum mensuram portae quae respiciebat ad Orientem; et septem graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam.

2. De porta quae respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris, ea ipsa replicantur quae jam de porta alia superius dicta sunt, atque alia subjunguntur quae de praedicta porta propheta tacuerat. Ut ergo de his latius disseramus quae necdum discussa sunt, debemus ea quae jam dicta sunt sub brevitate replicare. Porta enim viam Aquilonis respicit, cum praedicator quisque vitam peccatoris agnoscit, eique interiora vitae per verbum praedicationis aperit. Quae porta atrii exterioris dicitur. Exterius quippe est atrium vita praesens, in qua omne quod corporaliter agitur corporaliter etiam videtur. Quae tam in longitudine quam in latitudine mensuratur, quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est ut ejus doctor consideret, vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex ejus admonitione proficiat. Qui enim ad Deum convertitur, si adhuc bona vitae praesentis sperat, longitudinem non habet, quia brevis est vita in qua spem posuit. Si per terrenarum rerum concupiscentiam, et adhuc per proximi odium coangustatur, latitudinem non habet, quia nescit vel transitoria contemnere, vel se in proximi amore dilatare. Cum vero conversus quisque aeternae vitae gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias cum charitate tolerat, et ea quae non habet concupiscere contemnit; longitudinem et latitudinem porta habet, quia gloria

praedicatoris est profectus auditoris. Unde quibusdam per magnum praedicatorem dicitur: *Gaudium meum et corona mea* **(Philip. IV, 1)**. Et rursum: *Ecce nunc vivo, si vos statis in Domino* **(I Thess. III, 8)**. Atque iterum: *Quae est nostra spes aut gaudium? Nonne vos ante Dominum* **(Ibid., II, 19)**? Longitudo ergo et latitudo portae est quae ad Aquilonem respicit, quia cum infidelem quempiam in peccati sui frigore torpentem praedicator ad fidem converterit, per hoc quod eum in longitudinem spei **1378** tendit, et in amplitudinem charitatis dilatat, ejus gloriam suam facit. Et quia in cognitione sanctae Trinitatis ex verbo praedicationis auditores quique in ejusdem Trinitatis amore proficiunt, habet haec eadem porta thalamos tres hinc, et tres inde, quia omne quod per Testamentum Novum de Trinitate conditor loquitur, hoc etiam de Testamento Veteri ostendit. Et cor audientium in amore coelestis patriae proficit, ut anima inhaerens Deo quasi sponsa cum sponso in quodam jam thalamo sedeat, atque se a terrenis desideriis funditus avertat.

3. Vel certe, ut longe superius dictum est **(Hom. 4, n. 5)**, quia tres sunt ordines bene viventium, bonorum scilicet conjugatorum, continentium, atque praedicatorum, et quia alii etiam in conjugiis positi amore coelestis patriae anhelant, alii autem spe aeterni gaudii etiam carnem macerant, omnesque actus terrenos refugiunt, et in cura hujus saeculi implicari contemnunt, alii vero et terrena bona despiciunt, et coelestia gaudia praedicant, quae cognoverunt, quid isti nisi in spiritali aedificio thalami sunt in quorum cogitatione et meditatione anima coelesti sponso sociatur? Quos tres bonorum ordines, quia non solum Ecclesia ex gentibus habet, sed aliquando etiam Synagoga habuit, dum magna multitudo

spiritalium Redemptoris gratiam ardenter exspectavit, porta aedificii coelestis tres hinc, et tres inde thalamos habet, quia praedicator quisque, cum ad supernam patriam auditorem provocat, et novos patres et veteres anhelasse coelesti desiderio demonstrat. Plus enim plerumque exempla quam ratiocinationis verba compungunt; et cum praedicator dicit quales alii in conjugio, vel in continentia, vel in praedicatione erga omnipotentis Dei amorem in novo testamento fuerint, vel alii quales in veteri, porta quae loquitur ternos ex utroque latere habere se thalamos ostendit. Quae porta habet et frontem, quia sunt in praedicatoris vita aperta opera quae videntur. Habet et ante frontem vestibulum, quia priusquam bona opera insinuet, praedicat fidem, per quam anima humiliter veniens ad bonorum actuum altitudinem sublevetur. Quae cuncta secundum mensuram portae prioris sunt, juxta hoc quod subditur:

VERS. 21.---*Quia mensus est quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum.*

4. Haec jam superius latius me dixisse meministis **(Hom. 5, l. II)**. Per quinquagenarium enim numerum requiem diximus figurari, quia et quinquagesimus annus veteri populo in requiem datus est, quia appellatus est jubilaeus; et septenarius numerus, per quem hoc omne tempus evolvitur, septies multiplicatus ad quadraginta et novem ducitur. Cui monas additur, quia in unius contemplatione requies aeterna perficitur. Idem ergo quinquagenarius numerus nobis in longitudinem est, quia pervenire ad illam requiem non potest, nisi qui ad eam spem suam modo tendere longanimiter potest. Quia enim per quinquagenarium numerum **1379** ad aeternam requiem provocamur, etiam hoc nos omnino instruit quod in

tabernaculo decem cortinae jussae sunt fieri, quae haberent ansulas quinquagenas, et circulos aureos quinquagenos a latere et summitate **(Exod. XXV, 4, seq.)**. Cortinae etenim tabernaculi sancti omnes sunt, qui ex diversis virtutum coloribus in sanctae Ecclesiae ornamento proficiunt. Qui et interiora velant, et exteriora omnimodo exornant, quia eorum vita in quantum videtur, ornamentum est; et eorum intellectus intus absconditur, dum coelestia quae in mente servant, et dicere non possunt, in eis aliquo modo velantur. Recte autem decem cortinae sunt, quia per Decalogi custodiam ipsa sanctorum corda profecerunt. Hyacinthinae vero ansulae cortinarum fieri quinquaginta praeceptae sunt. Hyacinthus coeli speciem habet. Ansulae ergo cortinarom sunt praecepta coelestia, in quibus ligantur animae, ut ab inferioribus sublevatae superius pendeant. Quae videlicet ansulae habent et circulos aureos, intellectum scilicet vera sapientia fulgentem. Qui intellectus, quia esse debet per omnia circumspectus, et cautae sollicitudinis vigilantia munitus, recte per circulos designatur.

5. Et notandum quod a latere et summitate jubentur ansulae, vel circuli in cortinis fieri, quia praecepta coelestia et intellectus spiritualis, non solum debet nos sursum in Dei amorem suspendere, sed etiam proximo in charitate sociare. In eo enim quod conditorem nostrum diligimus, quasi per superiores ansulas in aere pendemus. In eo vero quod sicut nosmetipsos proximos amamus, ansulas et circulos a latere habemus, ut cortinae tabernaculi, id est fidelium animae per charitatem conjunctae sint, et non per discordiam divisae. Unde et hic post longitudinem quinquaginta cubitorum protinus latitudo subjungitur viginti et quinque cubitorum,

quae videlicet latitudo ad charitatem proximi pertinet. Ipsa enim in fratrum amorem se dilatat, atque erga eos omne quod potest boni operis exercet. Cuncta autem bona opera quae corporaliter fiunt, per quinque corporis sensus exhibentur, videlicet per visum, auditum, tactum, gustum, odoratum. Quinarius vero numerus per semetipsum ductus ad vicesimum et quintum pervenit, quia bona opera cum agi coeperint, per fervorem animum ad augmentum excitant, et per semetipsa multiplicantur. Unde et latitudinem menti faciunt, ut non sit angusta per teporem, sed expansa in bonis actibus per charitatem. Omnis enim torpor teporis angustia est, omnis vero benignitas charitatis, magna latitudo. Nam etsi res desunt quae fortasse indigenti proximo praebeantur, ampla est substantia voluntatis bonae, quae sufficit ad regni retributionem, sicut scriptum est: *In terra pax hominibus bonae voluntatis* **(Luc. II, 14)**. Sequitur:

VERS. 22.---*Fenestrae autem ejus, et vestibulum, et sculpturae secundum mensuram portae quae respiciebat ad Orientem.*

6. Cuncta haec jam superius latius dicta sunt, et idcirco sermo non debet morosa expositione tardari. Hoc tamen magnopere notandum est, quod porta ad Aquilonem ea omnia habere perhibetur **1380** quae porta ad Orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturam bonae operationis. Omnes enim qui per hoc quod Deo in conversatione nati sunt in innocentia perstiterunt, portam ad Orientem habent, quia eis coelestis regni aditus patet a lumine quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi torporis sui frigore sunt depressi, sed, dum per poenitentiam redeunt, ad amorem coelestis patriae

recalescunt, portam ad Aquilonem habent, quia eis etiam post peccati sui frigus coelestis regni aditus per misericordiam patet. Ea ergo habere dicitur porta ad Aquilonem quae habet porta ad Orientem, quia et conversi peccatores sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt divites qui cadere in peccatum vitaverunt. Unde et Psalmistae voce per Dominum dicitur: *Cinerem sicut panem manducabam* **(Psal. CI, 10)**, quia sic poenitentes recipit ut justos. Scriptum quippe est de peccatoribus: *Olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* **(Matth. XI, 21)**. Cinis ergo sicut panis comeditur, quando ad auctoris sui gratiam peccator per poenitentiam sicut innocens revocatur. Porta igitur ad Aquilonem habet fenestras, habet vestibulum, habet sculpturas, quia cum peccator ad vitam post culpas reducitur, saepe lumen contemplationis accipit, atque de ipsa memoria iniquitatis suae gratiam magnae humilitatis bonae quoque operationis efficaciam sumit, ut omne quod fieri praecipitur, in vita ejus quasi sculptum esse videatur.

IBID.---*Septem vero graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam.*

7. Septem gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti Spiritus septiformem gratiam aditus nobis vitae coelestis aperitur. Quam septiformem gratiam Isaias in ipso nostro capite, vel in ejus corpore, quod nos sumus, enumerans dicit: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* **(Isai. XI, 2)**. Quos gradus, de coelestibus loquens, descendendo magis quam ascendendo numeravit, videlicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et

cum scriptum sit: *Initium sapientiae timor Domini* **(Prov. IX, 10)**, constat procul dubio quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem reditur, quia nimirum perfectam habet sapientia charitatem. Et scriptum est: *Perfecta charitas foras mittit timorem* **(I Joan. IV, 18)**. Propheta ergo, quia de coelestibus ad ima loquebatur, coepit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Sed nos qui a terrenis ad coelestia tendimus, eosdem gradus ascendendo enumeremus, ut a timore ad sapientiam pervenire valeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis gradus est timor Domini; secundus, pietas; tertius, scientia; quartus, fortitudo; quintus, consilium; sextus, intellectus; septimus, sapientia. Est enim timor Domini in mente. Sed qualis est iste timor, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationibus dissimulat, hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. Sed saepe pietas per inordinatam misericordiam **1381** errare solet, si fortasse pepercerit quae parcenda non sunt. Peccata enim quae feriri gehennae ignibus possunt disciplinae verbere sunt corrigenda. Sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad aeternum supplicium pertrahit. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id est ad scientiam, ut sciat vel quid ex judicio puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quid si sciat quid agere quisque debeat, virtutem vero agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit, ne timore trepidet, et, pavore collapsa, non valeat bona defendere quae sentit. Sed saepe fortitudo si improvida fuerit, et minus contra vitia circumspecta, ipsa sui praesumptione in casum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut praevidendo

praemuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si intellectus deest, quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum solidare quod adjuvat? Itaque à consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, et moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium in intellectum proficimus, per intellectum ad maturitatem sapientiae pervenimus, septem gradibus ad portam ascendimus, per quam nobis aditus vitae spiritalis aperitur.

Bene autem dicitur quia vestibulum erat ante eam, quia nisi quis prius humilitatem habuerit, ad hos gradus donorum spiritalium non ascendit, sicut scriptum est: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos* **(Isai. LXVI, 2)**. De quo per Psalmistam dicitur: *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum* **(Psal. LXXXIII, 6)**. Convallis quippe humilis locus est, et peccator quisque dum se in lacrymis humiliter affligit in corde, per ascensum virtutum proficit. Qui rursus ait: *Emittit fontes in convallibus* **(Psal. CIII, 10)**, quia omnipotens Deus dona spiritalis gratiae humilibus praestat.

9. Potest quoque per vestibulum fides intelligi. Ipsa quippe est ante gradus et portam, quia prius ad fidem venimus, ut postmodum per spiritalium donorum gradus coelestis vitae

aditum intremus. Non enim per virtutes venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cujus eleemosynae ante baptismum, angelo testante, laudatae sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera **(Act. X, 1, seq.)**. Nam et ei per angelum dicitur: *Orationes tuae et eleemosynae ascenderunt in conspectu Dei* **(Ibid., 4)**. Si enim Deo vero et ante baptismum non crediderat, quem orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, sed quod ejus omnipotens Filius incarnatus esset ignorabat. Neque enim **1382** poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptum namque est: *Sine fide impossibile est placere Deo* **(Hebr. XI, 6)**. Fidem ergo habuit, cujus orationes et eleemosynae placere Deo potuerunt. Bona autem actione promeruit ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Vestibulum itaque ante gradus est, quia qui prius credidit, ipse post virtutum gradibus ad portae aditum ascendit. Sequitur:

VERS. 23.---*Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, et Orientalem.*

10. Hoc loco *contra* non pro adversitate ponitur, sed pro rectitudine; ita enim porta interioris atrii posita monstrabatur, ut porta Aquilonis et Orientis recto ad eam aditu tenderet. Quid est ergo quod porta interior recto itinere posita contra portam Orientis et Aquilonis ostenditur, nisi hoc, quod aperte datur intelligi, quia sive Judaico et gentili populo, seu justis et peccatoribus, sed post peccata conversis, aeque aditus regni coelestis aperitur? Larga est enim misericordia Creatoris

nostri. Et porta interior non solum portam Orientis respicit, sed etiam Aquilonis, quia non solum his qui in innocentia permanent, sed etiam peccatoribus peccata sua poenitendo damnantibus aperiuntur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriae coelestis agnoscant, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Haec interni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei* **(Psal. XLI, 3)**? Praedicator gentium ad hunc aditum regni coelestis anhelabat, cum dicebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* **(Philip. I, 23)**. Haec exsultationis occultae secreta cognoverat sponsa, quae dicebat: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* **(Cant. V, 4)**. Dilectus etenim manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod coelestis gaudii intellectu tangitur, ipsa sua exsultatione turbatur, et fit in mente pavor cum laetitia, quia jam sentit quid de coelesti gaudio diligat, et adhuc metuit ne non recipiat quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat nisi ut se ad perfectionis vitae cursum dirigant omnes qui illa gaudia patriae coelestis agnoscunt? Unde et hic apte subjungitur:

IBID.---*Et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos.*

11. Centenarium numerum, quia decies per denarium ducitur, jam superius diximus esse perfectum **(Hom. 6, n. 16)**. Is itaque qui aditum atrii interioris videt, profecto necesse est ut per vitam perfectionis currat, et a porta inchoationis usque ad consummationis ingressum perveniat. Mensuretur ergo

atrium interius, quod a portis exterioribus usque ad portam interiorem tenditur, centum cubitis, ut qui intrare amando coepit, latitudinem perfectionis habeat in mente, quatenüs in eo **1383** quem diligit hunc nec adversa coangustent, nec prospera elevent, sed, transitoria cuncta despiciens, quousque ad gaudia secreta perveniat, per atrium perfectionis currat. Sunt etenim multi qui jam in septem gradibus aditum portae exterioris intraverunt, juxta quemdam supernae dispensationis modum, per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi; sed, adhuc quibusdam necessitatibus obligati, hujus mundi curis inserviunt, et unde jam ex magna parte excusserunt animum, ibi adhuc tenentur inviti. Cumque superimposita terrenae occupationis portant onera, minus in praeceptis coelestibus exercentur. Anhelare medullitus ad aeternam patriam non vacat, ipsa in eis sua aliquo modo desideria languescunt, quia nimirum curis temporalibus praepeditum vera gaudia quae cognovit amare non tantum licet quantum libet. Hi plerumque a jugo mundi colla mentis excutiunt, omnia deserunt, terrenae curae pondera deponunt, atque ut ad coeleste desiderium latius animi sinum laxent, vitam remotam petunt, et in sanctis precibus intenti, sacris meditationibus dediti, quotidiano se fletu afficiunt, et vetustatem cordis igne amoris conflant, atque ad coeleste gaudium accendendo se innovant. Hi plerumque, in ipso suo desiderio accensi, exire jam de carne concupiscunt, atque ad vitam praesentem redire post fletum nolunt. Sed tamen differuntur, ut dilatus amor ex ipsa sua dilatione proficiat, et ardenti desiderio quasi quod negatur crescat. Sic in regione Gerasenorum qui liberatus a legione daemonum fuerat jam

cum Domino ire volebat, sed tamen ei dicitur: *Revertere in domum tuam, et narra quanta fecerit tibi Dominus* **(Luc. VIII, 39)**. Sic sponsa in Canticis canticorum sanctis desideriis anxia loquitur, dicens: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni* **(Cant. III, 1)**. In lectulo enim dilectum quaerit, quando in ipso suo otio et vacatione quam appetit jam videre anima Dominum concupiscit, jam ad eum exire desiderat, jam carere praesentis vitae tenebris anhelat. Sed quaerit illum, et non invenit, quia quamvis magno amore desiderat adhuc tamen ei non conceditur videre quem amat.

12. Tales itaque sanctorum mentes quid aliud in hoc desiderio faciunt, nisi quod jam a portis exterioribus per atrium interius ad portam currunt? Quibus saepe evenit ut cum se viderint magno coelestis gratiae munere compunctos, jam se perfectos existiment, et obedientes putent; sed quia nullus est qui dura praecipiat, patientes esse se credant, sed quia nemo eos per contumelias et adversitates pulsat. Et plerumque contingit ut spiritale ministerium vel inviti suscipiant, atque ad gubernationem fidelium deducantur. Qui cum magnis tribulationibus fuerint hinc inde pulsati, turbati mente, sese imperfectos inveniunt, qui non pulsati, perfectos se esse crediderunt. Qua **1384** ex re agitur ut se ad semetipsos colligant, et apud se tacite opprobrium suae infirmitatis erubescant, atque, ex ipsa sua confusione roborati, contra adversa patientiam opponant, et ex tribulatione proficiant, qui prius in otio ex ipsa sua securitate torpebant. Et veraciter esse tales incipiunt quales se esse prius inaniter putaverunt. Hi itaque cum a portis exterioribus usque ad interiorem portam per boni studii atrium differuntur, hoc ipsum in eis atrium

centum cubitis mensuratur, quia dilatione et exercitatione sancta quotidie ad perfectionem proficiunt. Per quotidiana enim desideria in mente proficere, quasi centum est cubitis interius atrium mensurari. Idcirco ergo a portis usque ad portam centum sunt cubiti, ut quasi quaedam mora eundi sit ipsa dilatio vivendi, per quam quotidie in virtutibus crescitur, ut ad interiorem aditum perfectius perveniatur. Sequitur:

VERS. 24-26.---*Et eduxit me ad viam Australem, et ecce porta quae respiciebat ad Austrum; et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus juxta mensuras superiores; et fenestras ejus, et vestibula in circuitu, sicut fenestras caeteras, quinquaginta cubitorum longitudinem, et latitudinem viginti quinque cubitorum. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam, et vestibulum ante fores ejus.*

13. Cuncta haec in Orientis et Aquilonis porta jam dicta sunt, et congruum non est ut ea quae semel ac secundo exponentes diximus saepius replicemus. Notandum tamen nobis est quia in spiritali aedificio alter aditus ad Orientem, alius ad Aquilonem, atque alius ad Austrum patet. Sicut enim Aquilonis frigore peccatores, ita per Australem viam ferventes spiritu designantur, qui, calore sancti Spiritus accensi, velut in meridiana luce virtutibus excrescunt. Pateat itaque porta ad Orientem, ut hi qui sacramenta fidei bene inchoaverunt, et in nulla postmodum vitiorum profunditate demersi sunt, ad gaudia secreta perveniant. Pateat porta ad Aquilonem, ut hi qui post inchoationem caloris et luminis in peccatorum suorum frigore et obscuritate dilapsi sunt per compunctionem poenitentiae ad veniam redeant, et quae sit internae retributionis vera laetitia cognoscant. Pateat porta ad Meridiem, ut hi qui sanctis desideriis in virtutibus fervent per

spiritalem intellectum quotidie interni gaudii mysteria penetrent. Inter haec autem quaeri potest, cum quatuor hujus mundi partes sint, cur in hoc aedificio exterioris atrii non quatuor, sed tres portae esse memorantur? Quod recte quaerendum fuerat, si Propheta non spiritale, sed corporale aedificium vidisset. Sancta enim Ecclesia, id est spiritale aedificium, ut ad secreta gaudia pertingat, tres solummodo portas habet, videlicet fidem, spem, atque charitatem: unam ad Orientem, aliam ad Aquilonem, tertiam ad Meridiem. Porta quippe ad Orientem est fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad Aquilonem spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, misericordiam funditus perdit. **1385** Unde necesse est ut qui per suam iniquitatem exstinctus est, per spem misericordiae reviviscat. Porta ad Meridiem charitas, quia igne amoris ardet. In meridiana etenim parte sol in altum ducitur, quia per charitatem lumen fidei in Dei et proximi dilectione sublevatur. Tribus igitur portis ad interius atrium tenditur, quia per fidem, spem, atque charitatem ad gaudia secreta pervenitur. Alia quoque quaestio oritur, cur porta atrii interioris posita contra portam Orientis et Aquilonis dicitur, et quod ad Australem portam pateat tacetur. Sed quia per Orientem inchoantes, per Aquilonem lapsos diximus designari, dignum fuit ut vel de inchoantibus, quibus adhuc sol in tepore est, vel etiam de lapsis, sed per conversionem redeuntibus, aperte diceretur quod eis porta atrii interioris pateat, quatenus ex ipsis nos certos faceret de quibus dubitari potuerat. Hoc autem de porta Australi dicendum non erat, quia eos ad gaudia interna pertingere qui fervore spiritus in virtutibus permanent nullus ignorat. [Usus quippe est sacri eloquii ea de quibus dubitari poterat aperte dicere, et ea quae constant tacere, sicut

per Psalmistam dicitur: *Irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini* **(Psal. CV, 16)**. Aaron quippe, exigente populo, idolum fecerat, et recte poterat de vita ejus dubitari. Moyses ergo sanctus non dicitur, quia sanctus esse ab omnibus scitur; et Aaron sanctum Domini nominat, ut nobis de vita illius dubietatem tollat.] Sequitur:

VERS. 26.---*Et caelatae palmae erant, una hinc, et altera inde in fronte ejus.*

14. Quid hoc est, quod prius in frontibus pictura palmarum, nunc autem caelatae palmae in fronte esse memorantur? In caelatura quippe lapidum foris opera esse videntur. Sed, sicut jam superius diximus, pictura palmarum est ostensio signorum. Nunc vero caelatura palmarum dicitur, ut bonorum operum demonstratio designetur. Ipsis enim summis praedicatoribus dicitur: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* **(Matth. V, 16)**. Qui igitur in vita sua impressa esse sancta opera demonstrant, palmas in fronte caelatas habent, quia quanta illos in posterum victoria sequatur, jam nunc in sanctis suis operibus ostendunt. Vel certe quia fidem per Orientis, spem per Aquilonis, charitatem vero per Australem portam diximus designari, notandum nobis est quia in Orientis porta pictura palmarum, in Aquilonis vero et Meridiei, caelatura esse perhibetur, quia contingit saepe ut hi qui adhuc inchoantes sunt, necdum se in operibus solidis ac magnis exerceant; hi vero qui post iniquitates ad virtutes redeunt, plerumque, ut culpas suas ante omnipotentis Dei oculos tegere valeant, in magnis operibus exercentur. Et qui jam fervore spiritus in virtutibus excreverunt, quasi Meridies in sanctis actibus inardescunt. In Orientis ergo porta pictura est, in Aquilonis

vero et Meridici caelatura, quia signum victoriae quod in inchoantibus ostenditur, hoc in revertentibus atque ferventibus jam solidius et robustius tenetur.

15. Notandum quoque magnopere est quod dicitur, **1386** *Hinc et inde.* Omnes enim qui ad vitae aditum tendimus, et ex dextro et ex sinistro latere habere palmam debemus. Quod enim hinc et inde dicitur, latus utrumque signatur. A dextro igitur palmam habet is quem prospera non extollunt; a sinistro palmam habet is quem adversa non dejiciunt. Quasi ex utraque parte portabat Paulus palmam cum diceret: *Per arma justitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores, et veraces* **(II Cor. VI, 7)**. Non hunc adversa frangebant, non prospera in mentis tumorem sublevabant. Hinc inde ergo gestabat palmam, quia et in adversitate fortis, et in prosperitate humilis permanebat. Quisquis enim de prosperis extollitur, habere in dextera parte palmam nescit. Quisquis in adversitatibus frangitur, portare palmam a sinistro latere ignorat. Ut ergo hinc et inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet et in adversis fiducia, et in prosperis timor, ne aut adversa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiduciam extollant. Hinc est quod idem egregius praedicator dicebat: *Scio et humiliari, scio et abundare, ubique et in omnibus institutus sum. Et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat* **(Philip. IV, 12)**.

16. Nunquid nam, fratres, ars est aliqua, humiliari et abundare, satiari et esurire, abundare et penuriam pati, ut pro magno se ista scire tantus praedicator insinuet? Ars omnino, et mira

disciplinae scientia, quae toto nobis cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari. Hoc enim loco Apostolus humiliari, dicit penuriam pati. Nam statim e contrario subjungit: *Scio et abundare.* Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanae gloriae non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Qui cum statim subderet, *Omnia possum,* ne elationis esse verba crederemus, adjunxit in quo, *In eo qui me confortat.* Ecce in altum ramus prodiit, sed quia in radice se tenuit, in viriditate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se a radice divisisset. Sibi enim nihil tribuit, quia omnia se posse non in se, sed in eo qui se confortat fatetur. Hinc et inde ergo praedicator egregius palmam habet, quem nec abundantia in superbiam, nec inopia ad avaritiam pertrahit.

17. Discamus itaque, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est conditor noster, nosque adoptivos filios ad haereditatem regni **1387** coelestis nutrit. Et non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. Discamus igitur abundare, ut cuncta quae ab eo accepimus, cum indigentibus partiamur.

Et mentem abundantia non elevet, ne fortasse gaudeat quia hoc adest sibi quod deest alteri, et non jam communi bono, sed proprio laetetur. A privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de praedicatione redeuntes, et de subjectione daemonum laetantes admonet, dicens: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in coelo* **(Luc. X, 20)**. Non enim omnes electi daemonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina coelo tenentur ascripta. Admonentur ergo discipuli privatam laetitiam deponere, de communi autem et perpetua felicitate gaudere. Quisquis itaque in eo gaudet quod alter non habet, ex ipsa sua abundantia deterior factus, gaudium privatum habet. Contra hujus nos appetitum abundantiae Joannes admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt* **(I Joan. II, 15)**. Qui mox rationem subdidit, quare: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* **(Ibid.)**. Nemo enim *potest duobus dominis servire* **(Matth. VI, 24)**, quia non valet simul transitoria et aeterna diligere. Si enim aeternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu non in affectu possidemus. Qui eamdem rationem protinus subdidit, dicens: *Quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* **(I Joan. II, 16)**.

18. Ideo enim habere aliquid homines et ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant, et quia hoc alius non habet se in cogitationibus extollant. Quisquis itaque talis est, adhuc ad portandam abundantiam doctus non est. Saepe autem quod avaritia ex appetitu suggerit, necessitatem putat, et cum minora sufficiant, dolet majora deesse, atque incautus animus quamdam quasi necessitatem patitur quam parit. Et

cum nimia sint quae desiderat, suam sibi avaritiam aliquo modo excusat. Abundantia itaque superbiae vicina est. Quam si quando etiam cupiditas intercepit, hanc, ut ita dixerim, quasi peregrina captivitas invasit. Si igitur abundandi artem scire volumus, necesse est ut non solum ea quae vicina sunt, sed ea etiam quae de longinquo veniunt vitia fugiamus. Discamus penuriam pati, ne ea quae non habemus habere etiam cum culpa requiramus, nec felices putemus quos rebus onustos cernimus. Nimia valde sunt ea quae sibi quasi in sumptus vitae praesentis praeparant. Multa portant, sed in via brevi magna est nobis in hoc itinere socia paupertas, quae animum non angustat, cum deest terrena substantia de qua aeterno judici rationes ponamus. Liberius ad patriam tendimus, quia quasi in via pondere caremus.

19. Discamus satiari, ne in sumendis alimentis corporis gulae magis quam necessitati serviamus Plus enim concupiscentia quam necessitas petit. Et saepe dum carnis inopiae satisfacere curamus, voluptas subrepit, modum refectionis excedit. Unde fit ut culpa transeat ad culpam, quia plerumque inde alia tentatio carnis nascitur, dum carni immoderatius in refectione servitur. Ex peccato etenim **1388** primi hominis, infirmante natura, in hoc mundo cum nostris tentationibus nascimur. Et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando autem seductrix in malo. Si igitur ei plus quam debemus tribuimus, hostem nutrimus. Et si necessitati ejus quae debemus non reddimus, civem necamus. Satianda itaque est caro, sed ad hoc usque, ut in bono nobis opere famulari sufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit, ut superbiat, satiari penitus ignorat. Ars itaque magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis.

Discamus esurire, ut nobis propter abundantiam sequentem nostra hic inopia placeat, ne nos ventris necessitas ad culpam trahat, ne peccatum menti ipsi indigentia suggerat; et dum caro fame afficitur, ad cupiditatem animus irritetur, et quaerat cum culpa providere unde carni valeat in necessitate satisfacere, ne cor in indignationem prosiliat, et linguam in murmurationis amaritudinem accendat. Qui igitur in carnis suae inopia se hinc inde circumspicit, atque a peccati laqueo custodit, novit esurire.

20. Nos itaque, fratres charissimi, iram atque avaritiam in adversitate fugientes, et elationem et immoderata gaudia in prosperitate declinantes, quia per fidem, spem, atque charitatem, interioris vitae atrium tribus portis intrare concupiscimus, palmas hinc et inde teneamus. Libet adhuc alterum civem coelestis patriae ad mentem reducere, et qualiter hinc inde palmam teneat demonstrare. Beatus etenim Job cum esset viris Orientalibus ditior, et ei prospera cuncta suppeterent, filii pollerent, familia cresceret, greges exuberarent, in tanto omnipotentis Dei timore perstitit, ut inter custodiam disciplinae, inter acta justitiae, inter multa humilitatis obsequia, misericordiae operibus intentus, sacrificiis offerendis deditus holocausta Domino pro singulis filiis immolaret, ne quis eorum saltem in corde peccasset **(Job. I, 2, seq.)**. Pensemus ergo quanta et erat custodia boni operis, qui in filiis suis expiabat sacrificiis culpas cordis. Sed quam justus esset, in prosperitate innotuerat, valde autem ignotum erat si perseverare justus et inter flagella potuisset. Tangendus ergo erat verbere, ut vir ille sanctus in prosperis interrogaretur adversis, ut qui notus erat omnipotenti Domino, notus per

flagella fieret nobis et sibimetipsi. Disponente itaque Domino consumpti sunt greges, interfecti custodes, eversa domus, exstincti filii, percussa caro a planta pedis usque ad verticem. Remansit uxor incolumis, quae verborum jaculis vulnera augeret. Sed hanc vir sanctus in tentatione, sanus in vulnere prudenter docet. eique respondet, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus* **(Job II, 10)**? Amici quoque ad consolandum veniunt, ad contumelias prorumpunt, et in dolore vulnerum, addunt adhuc vulnera verborum. Immisericordem dicunt, raptorem nominant, violentum denuntiant, oppressorem pauperum fatentur. Quid igitur miles Dei faceret inter dolentia vulnera et amara verba deprehensus? Ecce flagella Dei et verba hominum simul afflictum animum ad desperationem premunt; **1389** sed, virtute spiritus plenus, carnis vulneribus jacens, mentis robore stans, contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quae egerat. Quia misericors fuerat, dicit: *Oculus fui caeco, et pes claudo* **(Job. XXIX, 15)**. Et rursum: *Pater eram pauperum* **(Ibid., 16)**. Quia et disciplinae custos et benignus, dicit: *Cumque sederem quasi rex, circumstante me exercitu, eram tamen moerentium consolator* **(Ibid., 25)**. Quia humilis fuerit, dicit: *Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me* **(Job. XXXI, 13)**. Quia hospitalis fuerit, fatetur: *Si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum* **(Ibid., 19)**. Quia largus in donis, dicit: *Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est* **(Ibid., 20)**. Quia violentus non fuerit testatur, dicens: *Si levavi super pupillum manum meam, cum viderem me in porta superiorem* **(Ibid., 21)**. Quia de inimici periculo nunquam exsultaverit, dicit: *Si gavisus sum*

ad ruinam ejus qui me oderat **(Ibid., 29)**. Quia patiens fuit, et etiam suorum malitiam aequanimiter pertulit, dicit: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus ut saturemur* **(Ibid., 31)**? Quid est ergo quod vir sanctus tot suas virtutes inter flagella enumerat? Quid est quod ore suo opera quae fecerat laudat nisi quia inter vulnera et verba quae hunc ad desperationem trahere poterant, ad spem animum reformant? **1390** Et qui in prosperitate humilis fuit, revocatis bonis suis ad memoriam, infractus in adversitate permansit. Cujus enim animum inter tot flagella illa verba ad desperationem non impellerent, nisi sibi ad memoriam bona quae fecerat revocasset? Vidit igitur sanctus vir mentem suam auditis tot malis ad desperationem concuti, et mirabiliter studuit in spe certa ex bonis suis actibus solidari. Sic impletur quod scriptum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum* **(Eccli. XI, 27)**. Si enim cum bona habemus malorum reminiscimur quae aut jam passi sumus, aut adhuc pati possumus, accepta bona mentem non elevant, quia eorum gaudium timor memoriae malorum premit. Et si cum mala habemus bonorum reminiscimur quae aut jam accepimus, aut adhuc nos posse accipere speramus, malorum pondus animum in desperationem non deprimit, quia hunc ad spem memoria bonorum levat. Si itaque, fratres charissimi, sic per praecepta Dominica et per sanctorum exempla gradimur, ut nos nec prosperitas elevet, nec adversitas frangat, habere nos ante omnipotentis Dei oculos palmas hinc et inde monstramus. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII [*Al. XX*]. *Versus 27 ac reliqui, usque ad 38 inclusive, plerique cursim, alii fusius exponuntur, et dogma de resurrectione potissimum astruitur.*

1389 1. Prophetae verba quae, largiente Domino, hodie charitati vestrae loquenda sunt lectione magis indigent quam expositione. Ea enim in tribus portis interioribus replicantur quae secundo jam, vel tertio de exterioribus dicta sunt. Pauca vero in earum descriptione permutantur. Unde necesse est ea nos quae jam dicta sunt legendo transcurrere, ut ea quae necdum dicta sunt licentius possimus enodare. Itaque nunc dicitur:

VERS. 27-30.---*Et porta atrii interioris in viam Australem, et mensus est a porta usque ad portam in via Australi centum cubitos. Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem, et mensus est portam juxta mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus eisdem mensuris, et fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos, et vestibulum per gyrum.*

Cuncta haec superius dicta atque exposita esse meministis (*Maxime hom. superiori*). Necdum vero est dictum quod de eodem vestibulo subditur:

VERS. 30, 31.---*Longitudine viginti et quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum, et vestibulum ejus ad atrium exterius.*

Atque iterum hoc quod jam superius dictum fuerat **1390** replicatur, cum dicitur: *Et palmas ejus in fronte* **(Ibid.)**. Et statim quod adhuc dictum non fuerat subditur: *Et octo gradus erant in quibus ascendebatur ad eam* **(Ibid.)**. Hoc quoque quod de Australi porta scriptum est, de Orientali quoque porta in eodem ordine narratur. Nam protinus subinfertur:

VERS. 32-34.---*Et introduxit me in atrium interius per portam Orientalem, et mensus est portam secundum mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus sicut supra, et fenestras ejus, et vestibula ejus in circuitum longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. Et vestibulum ejus, id est atrii interioris, et palmae caelatae in fronte ejus hinc et inde, et in octo gradus ascensus ejus.*

Ea quoque quae de Australi porta et Orientali dicta sunt, in eisdem verbis etiam de porta quae ad Aquilonem respicit replicantur. Nam subditur:

VERS. 35-37.---*Et introduxit me ad portam quae respiciebat ad Aquilonem, et mensus est secundum mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, et fenestras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. Et vestibulum ejus respiciebat in atrium exterius, et caelatura palmarum in* **1391** *fronte illius hinc et inde, et in octo gradibus ascensus ejus.*

2. Quid itaque interiori atrio, quid thalamo, quid frontibus, quid vestibulo, quid fenestris, quid longitudine et latitudine,

quid palmarum caelatura signetur, late jam superius diximus **(Hom. 6 et 7)**, nec oportet ut in eisdem iterum, sed in his solummodo quae necdum dicta sunt occupemur. Nunc ergo quaerendum nobis est quae istae tres portae interiores sint, vel quid est quod earumdem portarum vestibula viginti quinque cubitis in longitudine, et quinque cubitis in latitudine metiuntur; vel cur ad eas non septem, sicut de portis exterioribus dictum fuerat, sed octo gradibus ascenditur. Porta enim atrii interioris quae superius dicta est de his tribus portis interioribus non est, quia illa contra Orientis et Aquilonis portam respicere dicitur, istae autem singulae interius ad Austrum vel Orientem et Aquilonem positae esse memorantur. Unde recte per illam aditus interior designatur, quia, sicut praecedenti locutione jam dictum est, vel Judaeis et gentilibus, vel inchoantibus atque in bono perseverantibus, vel a bono cadentibus, sed post culpas per poenitentiam surgentibus patet. Nunc autem postquam singulae in Oriente et Aquilone et Austro portae descriptae sunt, cur interioris atrii rursum portae singulae in Austro et Oriente atque Aquilone describuntur? Aspirante Domino, magna intentione opus est sinum tantae profunditatis indagare. Si enim portarum nomine sanctos praedicatores accipimus, sciendum nobis est quia una est Ecclesia in praedicatoribus testamenti veteris ac novi. Portae autem septem vel octo gradus habent, quia sancti Spiritus septiformem gratiam concorditer praedicant, octavo vero gradu annuntiant praemium retributionis aeternae. Unde scriptum est: *Da partem septem, necnon et octo* **(Eccles. XI, 2)**. Quid itaque dicere possumus exteriores portas, nisi antiquos patres fuisse, qui per praecepta legis noverant opera populi magis quam corda custodire? ut interiores portas praedicatores sanctae Ecclesiae debeamus accipere, qui

spiritalibus monitis discipulorum suorum corda custodiunt, ne malis quae non faciunt vel in cogitationibus delectentur. Per illas enim septem gradibus ascendi dicitur, istarum vero octo graduum ascensus esse perhibetur, quia et in veneratione legis dies septimus fuit, et in novo testamento octavus dies in sacramento est, is videlicet qui Dominicus appellatur, qui tertius a passione, sed octavus a conditione est, quia et septimum sequitur.

3. Sin vero portarum nomine solos intelligimus sanctos apostolos designari, qui videlicet primi nobis sunt sanctae Ecclesiae praedicatores, et nos fidem, spem, atque charitatem summopere tenere docuerunt, ipsi itaque nobis in his virtutibus portae sunt, qui nos per easdem virtutes ad interiorem intellectum aeternae sapientiae perducunt. Sed si ipsi exteriores portae sunt, quos accipimus interiores? Si vero ipsi interiores sunt, quos intelligimus exteriores? Qua in re intelligi utiliter potest **1392** quia ipsi nobis exteriores simul et interiores portae sunt. Cum enim adhuc inchoantibus non alta et mystica, sed quaedam quae capi praevalent, praedicant, portae exteriores sunt; cum vero perfectis profunda et mystica loquuntur, portae interiores. Videamus qualiter porta exterior pateat: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* **(I Cor. III, 1)**. Videamus qualiter porta interior pateat: *Sapientiam loquimur inter perfectos* **(Ibid. II, 6)**. Videamus utrum ipsa eadem sit porta interior et exterior: *Sapientibus et insipientibus debitor sum* **(Rom. I, 14)**. Qui rursum dicit: *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* **(II Cor. V, 13)**. In hoc enim quod contemplando et loquendo sapientibus mente excedit,

porta interior est; in hoc vero quod parvulis sobrie in praedicatione se temperat, et quanta ebrietate spiritus infundatur in mente cum praedicat non ostendit, exteriorem portam se esse manifestat. Ipsi itaque et exteriores portae nobis sunt et interiores, qui nos et in primo aditu fidei, spei atque charitatis instituunt, et cum jam proficientibus coelestis regni mysteria praedicant, per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt.

4. Unde et per septem gradus prius ascensus earum describitur, et postmodum per octo. Per octavum etenim gradum illius vitae mysteria signantur, quam in secretis suis perfecti intelligunt, qui jam cuncta temporalia mente transcendere noverunt, qui praesentem vitam quae septem dierum curriculo evolvitur plene despiciunt, qui de intima contemplatione pascuntur. Habent igitur portae spiritalis aedificii septem gradus, quia timorem Domini, pietatem et scientiam, fortitudinem et consilium, intellectum et sapientiam suis auditoribus praedicant. Sed cum jam omnia dimitti praecipiunt, cum nihil in hoc mundo diligi admonent, nil per affectum teneri, cum contemplationi coelestis patriae intendi, atque in ejus suadent mysteriis delectari, gradum addunt, et ad interiora trajiciunt. Iste gradus, docente Veritate, cuidam ostensus est, cui cum legis praecepta dicerentur, respondit: *Haec omnia custodivi a juventute mea* **(Matth. XIX, 20)**. Quasi enim jam in septem gradibus stabat, cum a juventute sua omnia custodisse se diceret. Sed ei mox dicitur: *Adhuc unum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni sequere me* **(Ibid., 21)**. In quibus verbis octavum quidem gradum vidit, sed ascendere noluit,

quia tristis abscessit. Quisquis itaque, contemptis rebus temporalibus, aeternitatis contemplatione pascitur, coelestis regni gaudia rimatur, post septem gradus quos timendo et operando atque intellectu sapientiae succrescendo tenuit, octavo gradu interioris portae aditum intravit.

5. Per octavum quoque numerum et dies aeterni judicii, et carnis resurrectio designatur. Unde et Psalmus qui pro octava scribitur a pavore judicii est inchoatus, cum dicitur: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* **(Psal. VI, 2)**. Nunc enim tempus est misericordiae, in illo autem **1393** judicio dies irae. In quo videlicet die omne hoc tempus finitur quod septem diebus evolvitur. Quia autem post septem dies sequitur, jure octavus appellatur. In quo et caro nostra resurget ex pulvere, ut sive bona, sive mala quae egit, recipiat a Veritate. Unde et per legem quoque octavo die fieri circumcisio jubetur. Nam per membrum quod circumciditur mortalis propagatio generatur, decedentium quoque et succedentium numerus augetur. Sed quia in resurrectione mortuorum nec carnis jam propagatio agitur, et decessio atque successio nulla erit, quia sicut scriptum est: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in coelo* **(Matth. XXII, 30)**, octava die praecipitur praeputium incidi. Ibi enim locum jam carnis propagatio non habet, ubi resurgens caro perseverantiam aeternitatis habet. Per hoc membrum mater virgo descendit, quae Deum in utero sine virili admistione concepit, qui primus nobis aeternae patriae gloriam in sua resurrectione monstravit. *Qui resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* **(Rom. VI, 9)**. Nobisque exemplum dedit, ut ea

fieri in die ultimo de nostra carne credamus quae facta de carne illius in die resurrectionis agnovimus.

6. Sed quia de carnis resurrectione nobis sermo se intulit, triste nimis et valde lugubre est quod quosdam in Ecclesia stare, et de carnis resurrectione dubitare cognoscimus. Hanc autem antiqui patres venturam esse certissime crediderunt, etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tenerent. Qua igitur damnatione digni sunt qui et exemplum jam dominicae resurrectionis acceperunt, et tamen adhuc de sua resurrectione diffidunt? Pignus tenent, et fidem non habent. Ecclesiam replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant. De hac resurrectione per beatum Job dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum; quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius* **(Job. XIX, 25, seq.)**. Hinc etiam per Psalmistam dicitur: *In conspectu ejus procidunt universi qui descendunt in terram* **(Psal. XXI, 29)**. In terra enim mortui non spiritu, sed corpore descendunt. In conspectu ergo Domini procidunt qui in terram descendunt, quia resurgendo ad judicium veniunt qui nunc in pulvere putrescunt. Hinc iterum dicit: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea* **(Psal. LXII, 2)**. Sitit anima ut Deum videat; caro quid sitit, nisi ut resurgat? Hinc rursus ait: *Aufer spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur* **(Psal. CIII, 29)**. Moxque de carnis resurrectione subjungit: *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae* **(Ibid., 30)**. Hinc iterum dicit: *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* **(Psal. CXXXI, 8)**. Exsurrexit enim Dominus in requiem suam cum

carnem suam de sepulcro suscitavit. Post hunc quoque exsurgit et arca, **1394** quia resurgit Ecclesia. Hinc per eumdem prophetam de quo loquimur scriptum est: *Ossa arida, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vos cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis* **(Ezech. XXXVII, 4, seq.)**. Hinc est quod propheta alius per resurrectionem Domini humanum genus vidit in fine suscitari, atque ait: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus* **(Osee VI, 3)**. Hinc est quod cum de semetipso Dominus loqueretur, adjunxit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* **(Joan. V, 28, 29)**. Hinc Paulus ait: *Unde etiam salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* **(Philip. III, 20)**. Hinc iterum dicit: *Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* **(I Thess. IV, 14)**. Qui rursus ait: *Primitiae dormientium Christus* **(I Cor. XV, 20)**. Si enim nos a mortis somno non surgimus, quomodo resurrectionem dominicam primitias habemus?

7. Ecce veteres ac novi Patres uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant. Ecce ipsa per se Veritas prius voce docuit quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstravit, et tamen adhuc quorumdam infirmitas fidem non habet in domo fidei stans. Sed mirari solent qualiter

caro reviviscere possit ex pulvere. Mirentur igitur altitudinem coeli, molem terrae, abyssos aquarum, omnia quae in mundo sunt, ipsos quoque angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere quam omnia ex nihilo fecisse. Ipsa nobis elementa, ipsae rerum species, resurrectionis imaginem praedicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit. Stellae matutinis horis nobis occidunt, vesperi resurgunt. Arbusta aestivis temporibus plena foliis, floribus, ac fructibus videmus, quae hiemali tempore nuda foliis, floribus ac fructibus, et quasi arida remanent, sed vernali sole redeunte, cum a radice humor surrexerit, suo iterum decore vestiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur, quod fieri in lignis videtur? Sed saepe pulverem putrescentis carnis aspiciunt et dicunt: Unde ossa et medullae, unde caro vel capilli poterunt in resurrectione reparari? Haec itaque requirentes, parva semina ingentium arborum videant, atque si possunt dicant: Ubi in eis latet tanta moles roboris, tanta diversitas ramorum, tanta multitudo et viriditas foliorum, tanta species florum, tanta ubertas, sapor atque odor fructuum? Nunquidnam semina arborum odorem vel saporem habent, quem ipsae post arbores in suis fructibus proferunt? Si ergo ex semine arborum quod videri **1395** non potest produci potest, cur de pulvere carnis humanae diffiditur quia ex eo reparari forma valeat quae non videtur?

8. Saepe autem objicere inanem quaestiunculam solent, qua dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit, cum pulvis ille suscitatur, quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividitur? Quibus quid respondere aliud debemus, nisi ut prius cogitent qualiter in hunc mundum venerint, et tunc invenient qualiter

resurgant? Certe tu homo qui hoc loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti, ibi quippe ex patris semine et matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic, rogo, si nosti, qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in nervis solidatus est, qualiter in carnibus crevit, qualiter in cute extensus est, qualiter in capillis atque unguibus distinctus, ita ut capilli molliores carnibus, et ungues essent teneriores ossibus, carnibus duriores? Si igitur tot et tanta ex uno semine per species distincta sunt, et tamen in forma remanent conjuncta, quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum carnem hominis distinguere a carne bestiarum, ut unus idemque pulvis et non resurgat in quantum pulvis lupi et leonis est, et tamen resurgat in quantum pulvis est hominis? Vide itaque, homo, qualiter ad vitam venisti, et nequaquam dubites ad vitam qualiter redeas. Cur autem ratione vis comprehendere quomodo redeas, qui ignoras quomodo venisti? Da potentiae Creatoris tui quod comprehendere non vales de temetipso. Certe enim quia tu ex terra factus es, terra vero ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuae resurrectione desperes, perpende prudenter quia minus est Deo reparare quod erat quam fecisse quod non erat.

9. Sed si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa sunt quae non intelligis qualiter sint, et tamen esse non dubitas. Dic, rogo, si nosti gyros coeli, terrae cardines, aquarum abyssos, ubi finiuntur, ubi suspensi sunt? Scimus autem quia quod ex nihilo factum est pendet in nihilo. Sed si est aliquid quod dicitur nihilum, jam nihil non est. Si autem nihil est nihilum, nusquam mundi moles dependet, nec est ubi sit quod creatum

est ut sit. Quomodo ergo nusquam est quod novimus quia est? Sed haec fortasse ad te multa sunt, ad temetipsum homo revertere. Certe ex spiritu es creatus et limo, uno invisibili, altero visibili; uno sensibili, et altero insensibili. Quomodo ergo permisceri in te potuit spiritus et limus, atque ex diverso fieri res non diversa, ita ut in tanta convenientia misceretur spiritus et limus, ut cum caro atteritur spiritus marceat, et cum spiritus affligitur caro contabescat? Sed forsitan necdum praevales discutere temetipsum. Perpende, rogo, si vales, quomodo Rubrum mare virga divisum est **(Exod. XIV, 21)**, quomodo petrae duritia percussione virgae undas emanavit **(Num. XX, 11)**, quomodo Aaron virga sicca floruit **(Ibid., XVII, 8)**, quomodo ex ejus genere veniens Virgo concepit, quomodo et in partu virgo permansit **(Luc. I, 27, seq.; III, 23, seq.)**; quomodo quatriduanus mortuus, **1396** jussione suscitatus, ligatis manibus ac pedibus de sepulcro exiit, quem postmodum solvi Dominus per discipulos jussit **(Joan. XI, 44, seq.)**; quomodo idem Redemptor noster, in vera carne atque ossibus resurgens, clausis ostiis ad discipulos intravit. **(Joan. XX, 26)**.

10. Ecce haec investigare non vales, et tamen credis. Cur ergo de resurrectionis gloria disputando et discutiendo dubitas, qui tam multa mysteria sine discussione credidisti? Qui tamen si resurrectionem carnis non credis, omnia sine causa credidisti, quia in hoc angelorum spectaculo videris quidem velociter currere, sed postquam cursum peregeris, ne bravium accipias aversaris. Unde per Paulum dicitur: *Sic currite ut comprehendatis* **(I Cor. IX, 24)**. Qui rursus ait: *Si in hac vita in Christo tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* **(I Cor. XV, 19)**. Divinae autem

virtutis mysteria quae comprehendi non possunt non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda. Sciendum itaque nobis est quia quidquid ratione hominis comprehendi potest mirum esse jam non potest, sed sola est in miraculis ratio potentia facientis. Ecce dum de resurrectione carnis loquimur, ab expositionis ordine paululum digressi sumus. Ad ea ergo quae coepimus redeamus.

11. Habent autem interiores portae vestibula, quae viginti et quinque cubitis in longitudinem metiuntur. Si enim octo ter ducimus, ad viginti et quatuor pervenimus. Cui unus additur, ut viginti et quinque teneamus. Auditores etenim boni, qui quasi quaedam vestibula sunt portarum, aeternae spei longanimitatem tenent, octavum diem in Trinitatis fide sustinent. Quae Trinitas, quia unus est Deus, octo quidem per tria ducunt, sed in unius Dei confessione solidantur. Plana sunt vestibula, quia humilia sunt corda bonorum auditorum. Habent longitudinem, quia in spei perseverant longanimitate. Viginti et quinque cubitis earum longitudo mensuratur, quia resurrectionem carnis in octava per Trinitatem credunt, et eamdem sanctam Trinitatem unum esse Deum fatentur. Habent quoque quinque cubitos in latitudinem, quia per vitam simplicem quae quinque sensibus ducitur circa amorem proximi dilatantur. Et notandum quia postquam portarum vestibula superius alia dicta sunt, postmodum vestibulum quod quinque cubitos habet in latitudinem exterius respicere dicitur, quia nimirum sunt auditores alii qui intellectum interioris vitae magis virtutibus proficiendo penetrant, et sunt quidam simplices qui bene quidem sed juxta sensus corporeos vivunt. Unde et exterius respicere dicuntur. Quasi enim extra respiciunt, quia juxta sensus corporeos vivunt. Sed tamen et

exterius respicientes, intus sunt, quia etsi sensus corporeos intelligendo transcendere nesciunt, fidem tamen atque charitatem humiliter tenent. Et intus ergo sunt in spiritali aedificio per amorem, et quasi foris respiciunt per simplicitatem.

12. Potest per vestibulum quod exterius respicit fides inchoantium designari, et per vestibulum quod est interius fides perfectorum, qui jam per eam in signis et virtutibus emicant. Possunt etiam per vestibulum interius praecepta altiora, per **1397** vestibulum vero quod respicit exterius praecepta adhuc minima figurari. Per vestibulum quippe itur ad gradus et ad portam, quia per praecepta praedicationis pertingitur ad virtutes atque aditum gratiae coelestis. Cum vero jubetur aliis in cogitatione sua aeterna meditari, coelestia sapere; eisque dicitur in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus vivere **(Coloss. III, 16)**, quasi interius vestibulum ostenditur, quod quinquaginta cubitis longitudine, et viginti quinque latitudine mensuratur. De quibus numeris nunc tacemus, quia ex his jam multa superius diximus. Cum vero aliis praecipitur, *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro* **(I Cor. VII, 3)**, quasi vestibulum quod exterius respicit designatur. Quod quamvis extra respiciat, tamen intus est, quia rudis auditor et adhuc agit quod carnis est, et tamen a bonorum numero alienus non est.

13. Potest autem et per Orientis portam Dominus, et per Austri Judaea, per Aquilonis vero conversa gentilitas designari. [Portam autem Dominum dicimus, quia per ipsum intramus ad ipsum. Portas vero Judaeam et gentilitatem non incongrue nominamus, quia prius Hebraeis, et postmodum patribus ex gentilitate venientibus aditum aedificii coelestis agnovimus.]

Sed hac in re quaestio animum pulsat, cur in superiori narratione prophetae, prius Orientalis, postmodum Aquilonis, ac deinde Austri porta descripta est. Cumque easdem portas in interiori atrio narraret, prius portam Austri, deinde Orientis, et tertio in loco descripsit Aquilonis. Cur autem non eumdem ordinem quem coeperat tenuit, sed hunc in portarum descriptione permutavit, ut et prius diceret Orientis portam, Aquilonis et Austri, et postmodum Austri, Orientis et Aquilonis? Sed si Aquilonis nomine gentilitas designatur, cunctis studiose legentibus liquet quia ante Synagogam gentilitas fuit. Nam Heber ipse, a quo Hebraei appellati sunt, ex gentibus est electus **(Genes. X, 21)**. Dicatur ergo porta Orientalis ante portam Aquilonis et Austri, quia in divinitate sua Dominus ante gentilitatem et Judaeam natus est, qui et ante omnia saecula. Dicatur vero narratione subsequenti porta Austri, Orientis et Aquilonis, quia Redemptor noster in humana natura inter Judaeam et gentilitatem nasci dignatus est, quia et in fine Synagogae venit, et ante initium Ecclesiae, quam ex gentibus collegit. In prima ergo descriptione sit Orientalis porta ante portam Aquilonis et Austri; in secunda autem inter portam Austri et Aquilonis Orientis porta nominetur, quia et ex divinitate antecessit omnia, et ex humanitate venit inter omnia, qui et decedentis Judaeae finis factus est, et subsequentis gentilitatis initium. Igitur quia ea quae necdum dicta fuerant, ut, Domino largiente, potuimus, rimati sumus et ea quae saepius sunt replicata transcurrimus, nunc ad ea veniamus quae sic jam per ordinem dicuntur, ut in eis pene nihil de his quae dicta sunt replicetur:

VERS. 38.---*Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum.*

14. Gazophylacia superius **(Hom. 6, olim. 18, n. 1 et seq.)** diximus corda doctorum, **1398** quae scientiae divitias servant. Frontes autem portarum sunt verba atque opera praedicatorum, in quibus eos foris agnoscimus quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per gazophylacia singula in frontibus portarum, quia unusquisque doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis et operibus patrum. Cum enim Petri apostoli praedicationem discutimus, cum Pauli verba perscrutamur, cum Joannis Evangelium investigamus, atque ex eorum verbis auditores nostros ad interiorem intellectum trahimus, quid aliud agimus, nisi ostium in portarum frontibus aperimus? Dicatur ergo: *Per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum,* quia si doctor hoc quod loquitur apostolorum dictis minime confirmat, in frontibus portarum ostium non habet. Et si ostium non habet, dici jam gazophylacium spiritalis aedificii non potest, quia si intellectum non aperit, doctor non est. Cum vero auditores boni per ora docentium apostolorum dicta et opera cognoscunt, culpas suas apud semetipsos tacite reprehendunt, et lacrymis insequuntur omne quod se egisse inique meminerunt. Unde hic quoque de ostio quod est in frontibus portarum subditur:

IBID.---*Ibi lavabant holocaustum.*

15. Qui enim se per fidem in conversatione sancta Domino devoverunt, holocaustum Domino facti sunt. Sed quia adhuc multa in se de corruptibili sua carne patiuntur, quia adhuc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lacrymas redeunt, assiduis fletibus affliguntur. Sanctorum enim patrum dicta et facta considerant, et cum se indignos pensant, in portarum ostio holocaustum lavant. Ecce

etenim quis pro timore omnipotentis Domini esse patiens devovit, nulli convicium pro convicio reddere, omnia aequanimiter tolerare, et tamen cum hunc contumelia ab ore proximi illata subito percusserit, turbatus forte aliquid loquitur, quod loqui non debuit. Certe iste jam holocaustum est, sed adhuc inquinatum. Fortasse contra illatas contumelias patientiam exhibuit, tacitus permansit; sed tamen contra easdem contumelias quas portat dolore tangitur, ejusque animus in charitate sauciatur. Patientia enim vera est, quae et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Hic itaque saepe in cogitatione sua se judicat, reprehendit semetipsum quia dolet, nec tamen apud se praevalet obtinere ne doleat. Jam ergo per bonam devotionem holocaustum est, sed tamen per dolorem quo tangitur adhuc inquinatum. Alius ea quae possidet apud semetipsum decrevit indigentibus cuncta tribuere, nil sibimet reservare, vitam suam soli supernae gubernationi committere; sed dum praebet pauperibus quae habet, fortasse cogitatio menti subrepit quae dicit: Unde vives, si cuncta dederis? Nec tamen desistit tribuere, sed quod laetus dare coeperat postmodum tristis praebet. Quid hujus mens nisi misericordiae holocaustum est? sed tamen per tristitiam cogitationis inquinatum. Aut enim deliberare summa non debuit, aut post deliberationem **1399** nullo modo dubitare. Alius, contempta mundi superbia, honores atque dignitates hujus saeculi decrevit vitare, ultimum appetit inter homines locum tenere, ut tanto excelsior inveniatur in permanenti gloria, quanto humilior aspicitur in transeunte vita. Is fortasse cum subito se a proximo despici agnoscit, dedignatur cur despicitur. Vult quidem esse in loco humili, sed tamen videri contemptibilis non vult. Hunc jam devotio

elevat, sed adhuc infirmitas gravat. Jam ergo per devotionem holocaustum est, sed adhuc ex infirmitate inquinatum. Hi itaque qui in eis quae optime devoverunt, in aliqua infirmitatis suae culpa tanguntur, cum per verba doctorum dicta patrum intelligunt, et in quanta culpa jaceant agnoscunt, seque ipsos poenitentiae lamentis afficiunt, holocaustum in ostio portarum lavant.

16. Sciendum vero est quia hoc inter sacrificium atque holocaustum distat, quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio etenim pars pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat. Unde et holocaustum Latina lingua totum incensum dicitur. Pensemus ergo quid est sacrificium, quid holocaustum. Cum enim quis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Nam sunt quidam qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, et tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant. Isti in bonis quae faciunt sacrificium offerunt, quia et aliquid de actione sua Deo immolant, et aliquid sibimetipsis reservant. Et sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam quam perceperunt omnipotenti Domino immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt; imo magis holocaustum fiunt? Israeliticus etenim populus primum sacrificium in Aegypto obtulit, secundum vero in eremo **(Exod. XII, XIII)**. Qui itaque adhuc mentem habet in saeculo, sed boni jam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Aegypto. Qui vero praesens saeculum deserit, et agit bona quae valet, quasi jam Aegypto derelicta

sacrificium praebet in eremo, quia, repulso carnalium desideriorum strepitu, in mentis suae quiete atque solitudine Deo immolat quidquid operatur. Quamvis ergo, sicut dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum, majus tamen est holocaustum sacrificio, quia mens quae hujus mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei sacrificio incendit quod habet.

17. Sed sciendum nobis est quia sunt quidam qui, etiam saeculum relinquentes, totum quidem quod habent offerunt, sed tamen in bonis quae agunt minime compunguntur; et quidem bonum quod agunt holocaustum est, sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistam dicitur: *Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat* **(Psal. XIX, 4)**. Holocaustum quippe siccum est bonum opus quod orationis lacrymae non infundunt. Holocaustum vero pingue est **1400** quando hoc quod bene agitur corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursus dicitur: *Holocausta medullata offeram tibi* **(Psal. LXV, 15)**. Quisquis enim bonum opus agit, sed ex omnipotentis Dei amore atque desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui vero bona operatur, et visioni jam Creatoris sui inhiat, atque ad aeternae contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Studendum ergo nobis est et mala funditus relinquere, et bona quae sufficimus operari, atque in ipsis bonis quae agimus amore aeterni luminis compungi. Ipse enim cordis tenebras discutit amor lucis, ut subtilius videre valeamus ne qua in bonis quae

agimus prava misceantur. Considerandum nobis quippe est opus nostrum quale sit quae cogitatio in opere, quae intentio in cogitatione. Et cum nostro bono operi admistum aliquid malitiae vel pravae delectationis agnoscimus, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum.

18. Sunt autem quidam qui semetipsos in magnis actionibus Domino devoverunt, atque ad tantam perfectionem perveniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate flectantur, quatenus deliberatione castitatis nequaquam caro in pravae cogitationis delectatione animum sternat. Nam et si quando per suggestionem pulsat, surgere non permittitur, quia vigore judicii calcatur. In deliberatione quoque patientiae nec sermo inordinatus ab ore prodeat, nec dolor tacitus animum premat, ut in largitate eleemosynae nulla inopiae suspicio tristitiam generet, ut in deliberatione humilitatis nullus despectus animum mordeat. Sed cum jam in his quae recte devoverunt sese fortiter exhibent, priora tamen peccata quae ab ipsis ante bonam deliberationem perpetrata sunt ad memoriam reducunt, et plangunt quidquid illicite se egisse meminerunt. Hi itaque per vitam quam tenent holocaustum sunt, sed per vitam quam ante tenuerunt inquinatum. Lavant ergo holocaustum in ostio portarum, quia in intellectu quem perceperunt de dictis patrum, lamentis se quotidianis afficiunt, et mundant vitam lacrymis, quam pravis aliquando actibus inquinaverunt. Nos itaque inter haec ad vitam praeteritam mentis oculos reducamus, reminiscamur qui fuimus, cum mundi hujus concupiscentias sequeremur. Et si jam Domino toto corde servimus, quia nos peccasse meminimus defleamus, in fletibus lavemus holocaustum.

19. Ecce omnipotenti Deo devovimus castitatem nostram; sed si adhuc immunda cogitatio mentem inquinat, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Ecce patientiam nos servare decrevimus. Sed si adhuc ira perturbat, si mentem tacitus dolor excruciat, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Ecce, jam novimus possessa tribuere, atque in hoc mundo humilem locum tenere; si qua adhuc animum inopiae suspicio deprimit, si despectus proximi in aliqua nos indignatione confundit, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Magnus est enim Creatori nostro ad recipiendos fletus humilium misericordiae sinus. **1401** Ubi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inventurae sunt et lacrymae nostrae. Pensemus quid per alium prophetam dicitur: *Et erit qui offenderit ex eis in illa die quasi David, et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu ejus* **(Zach. XII, 8)**. Haec est dies misericordiae, quae nobis de adventu Redemptoris nostri promissa est. Qui itaque offenderit erit quasi David, quia peccator ad poenitentiam redit; domus autem David quasi Dei, quia reversus quisque ad justitiam habitatio efficitur Creatoris sui, ut sit sicut angelus in conspectu ejus, quia misericordiae viscera quae in se expertus est annuntiando et aliis propinat. Hinc etiam paulo post illic dicitur: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae* **(Zach. XIII, 1)**.

20. Fons quippe occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus. Fons vero patens est idem Deus incarnatus. Qui fons patens recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos Redemptor processit. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visionem

pacis intimae mentem figunt. Peccator vero et menstruata est vel is qui delinquit in opere, vel mens quae labitur in prava cogitatione. Menstruatae namque ista pollutio est, quia et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic est omnis anima, quae etsi malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Unde etiam per prophetam alium sub Judaeae specie de anima immundis desideriis occupata dicitur: *Omnes qui quaerunt eam non deficient, in menstruis ejus invenient eam* **(Jerem. II, 24)**. Maligni quippe spiritus quaerentes non deficiunt cum inferre perditionem cupiunt, et nulla bonae cogitationis rectitudine repelluntur. Atque in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae* **(Zach. XIII, 1)**, quia apertus jam nobis est fons misericordiae Redemptor noster, qui in domo David incarnari dignatus est, ut peccatorem lavet a perverso opere, **1402** et menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet igitur fons; curramus cum lacrymis, lavemur in hoc fonte pietatis.

21. In hoc fonte ipse quoque David lotus est cum rediit ad lamenta poenitentiae post maculas gravis culpae. Ipsum quippe invenire fontem quaerebat cum diceret: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* **(Psal. L, 14)**. Jesus enim Hebraice, Latine salutaris dicitur. Et quid est quod sibi laetitiam Jesu reddi postulabat, nisi quod hunc ante culpam contemplari consueverat, ejusque contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Unde recte post poenitentiam visionis ejus laetitiam sibi reddi quaerebat. In

hoc fonte misericordiae lota est Maria Magdalene, quae prius famosa peccatrix, postmodum lavit maculas lacrymis, detersit maculas corrigendo mores **(Luc. VII, 37, 38, seq.)**. In hoc fonte misericordiae coram omnibus lavit Petrus quod negaverat, quia flevit amare **(Matth. XXVI, 75)**. In hoc fonte misericordiae in fine suo lotus est latro, qui, semetipsum in morte reprehendens, a culpa sua ablutus est confessione veritatis **(Luc. XXIII, 41)**.

22. Cur igitur pigri sumus? cur torpentes et frigidi remanemus, qui in hoc fonte pietatis tantos jam se lavisse cognovimus? Ergone de emundatione nostra desperabimus, qui tot exempla misericordiae in pignore tenemus? et cessamus veniam quaerere, atque cum lacrymis fiduciam habere, qui tantorum jam emundationem spei nostrae pignus accepimus? Quaerere enim misericordiae fontem deberemus, etiamsi clausus esset. Patet nunc, et negligimus. Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quanti peccatores diebus ac noctibus per lamenta in hoc fonte misericordiae lavantur, quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiam redeunt. Curramus ergo cum talibus post mortis tenebras ad aquam vitae; consideremus quantum peccavimus, quantum quotidie peccamus, atque, ut appareamus mundi post culpas, lavemus holocaustum. Ad haec agenda adest gratia Redemptoris nostri, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX [*Al. XXI*]. *Quinque versus, a 39 ad 43, exponendi proponuntur, et vix tentato*

sensu litterali, spiritualis et moralis proferuntur, ac de pastoris officio in primis disseritur.

Quid sumus de mysticis sensibus Ezechielis prophetae locuturi, qui ipsa ejus historiae verba vix capimus? Ecce etenim dicit:

VERS. 39-41.---*Et in vestibulo portae duae mensae hinc, et duae mensae inde, ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato, et pro delicto. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portae quae pergit ad Aquilonem, duae mensae; et ad latus alterum ante vestibulum portae, duae mensae. Quatuor mensae hinc, et quatuor mensae inde per latera portae. Octo mensae erant, super quas immolabant.*

1. In quibus videlicet verbis magna caligo dubietatis oboritur, utrum haec de una porta qualibet, an de duabus, aut de singulis portis dicantur. Sed dum quaternae mensae per latera describuntur, ac postmodum in summa conclusionis dicitur: **1403** *Octo mensae erant super quas immolabant,* patet quia hoc spiritus non de singulis portis quas superius descripserat dicat, quia si portae sex superius enarratae quaternas mensas per latera haberent, simul omnes non octo, sed quadraginta et octo dicerentur. Rursum si hoc de una dicitur, magno obstaculo nostra intelligentia reverberatur, quod post descriptum portae vestibulum, ubi duae mensae hinc et duae mensae inde esse narratae sunt, adhuc ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portae quae pergit ad Aquilonem, duae mensae esse memorantur, atque subjungitur: *Et ad latus alterum ante vestibulum portae duae mensae.* Si enim intra vestibulum portae binae per latera

mensae erant, cum subditur: *Et ad latus exterius duae mensae, atque ad latus alterum ante vestibulum duae mensae,* inter quas etiam porta quae respicit viam Aquilonis esse memoratur, profecto patet aliud vestibulum intrinsecus, atque aliud extrinsecus fuisse, quia et prius porta interior, et postmodum hoc in loco exterior Aquilonis porta describitur. Nam eum tres portas superius descripsisset, tres quoque alias interioris atrii esse memoravit, quarum extremam Aquilonis portam narraverat, sed, ut praedictum est, atrii interioris. Nunc ergo cum duae mensae hinc in portae vestibulo et duae mensae inde describuntur, adhuc de eadem interiori porta sermo contexitur, quippe cum protinus subinfertur quia *ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portae quae pergit ad Aquilonem, duae mensae; et ad latus alterum ante vestibulum portae, duae mensae.* Porta ergo interior binas per latera in vestibulo mensas habere descripta est, et porta exterior similiter binas. Quatuor autem hinc et quatuor inde mensae pariter fiunt, dum per latera singula binae in vestibulo portae interioris et binae hinc et inde exterius in Aquilonis porta describuntur, quae simul omnes octo sunt, in quibus immolatur. His itaque de exteriori narratione discussis, ad spiritalem intellectum sermo redeat, qui tanto jam esse, largiente Domino, facilior debet, quanto nos exterioris descriptionis ignorantia non angustat.

2. Possunt etenim portarum nomine, sicut superius dictum est, sancti praedicatores intelligi, ut vestibulum portae sit populus. Qui dum mente humili verba praedicationis suscipit, in eo mensae ad sacrificium ex virtutibus construuntur. Rursum nihil obstat si portam accipimus hoc, quod nobis per ora praedicantium sacri eloquii intellectus aperitur, ut vestibulum

portae ejusdem nobis praedicationis verba sint quae prius humiliter accipimus, ut post ad sacri eloquii intelligentiam veniamus. Sit itaque nobis porta interior Testamentum Novum, porta vero exterior Testamentum Vetus, quia et hoc spiritalem intellectum aperit, et illud rudibus adhuc mentibus in historia sacri eloquii litteram custodivit. Habet autem porta interior in magna jam multitudine fidelium populorum duo latera, videlicet dilectionem Dei et dilectionem proximi. Binae autem mensae sunt hinc et inde, quia in dilectione Dei necessario tenenda est **1404** fides et vita, in dilectione autem proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri. Est enim in dilectione Dei necessaria fides et vita, quia videlicet scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo* **(Hebr. XI, 6)**. Et rursus scriptum est: *Fides sine operibus mortua est* **(Jac. II, 20, 26)**. Est autem in dilectione proximi nobis patientia et benignitas conservanda, quia de eadem dilectione scriptum est: *Charitas patiens est, benigna est* **(I Cor. XIII, 4)**. Patiens scilicet, ut illata a proximis mala aequanimiter portet, benigna autem, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat. Habet quoque porta exterior, videlicet lex, duo latera, spiritales patres et carnalem populum. In quibus singulis binae mensae sunt, quia habet in spiritalibus patribus doctrinam et prophetiam, habet in carnali populo circumcisionem et sacrificium. In his itaque octo mensis immolatur, quia quidquid fides credit, quidquid vita in exemplo boni operis ostendit, quidquid patientia humiliter tolerat, quidquid benignitas largiter ministrat, quidquid doctrina salubriter docet, quidquid prophetia in posterum praemonet, quidquid circumcisio ad mandatum exterius ligavit, quidquid sacrificium ex devotione offerentis egit, in omnipotentis Dei oculis hoc esse victimam ostendit. In lege

enim etiam per carnale sacrificium quid aliud populus nisi devotionem sui cordis immolabat? Notandum vero quod quatuor mensae solummodo ad holocaustum fuisse memorantur, quas videlicet vestibuli portae interioris accipimus, ut de reliquis quatuor sentiamus quia ad sacrificium constructae fuerunt, non ad holocaustum. Holocaustum enim, sicut praecedenti jam locutione professus sum (*Homil. super.*), totum incensum dicitur. Et lex quidem Deum ac proximum diligi, divina mandata custodiri praecipit, ab alienarum rerum concupiscentia compescit; non tamen omnia dimitti jubet. In Testamento autem Novo nos Veritas contestatur, dicens: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest esse meus discipulus* **(Luc. XIV, 33)**. Atque iterum dicit: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum* **(Ibid. IX, 23)**. Mensae ergo interioris portae holocaustum habent, quia in virtutibus Testamenti Novi quasi per holocaustum omnia incendimus, quando omnibus quae hujus mundi sunt renuntiamus. Mensae vero portae exterioris sacrificium habent, sed holocaustum non habent, quia praecepta legalia decimas offerri jubent, sed dimitti omnia non jubent.

3. De interioris autem vestibuli quatuor mensis dicitur: *Ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato, et pro delicto.* Hoc etenim inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est mala facere, delictum vero est bona derelinquere, quae summopere sunt tenenda. Vel certe peccatum in opere est, delictum in cogitatione. Recte ergo in interioris portae quatuor mensis immolatur holocaustum, et pro peccato, et pro delicto, quia quicunque potuerit hoc praesens saeculum pleniter contemnere, et, derelinquens

omnia, semetipsum Domino holocaustum dare, ipse jam perfecte novit **1405** et peccata operis plangere, et delicta cogitationis, vel quod malum fecit, vel quod bonum quod debuit facere non fecit. Qui etenim totum dimisit, culpas suas in fletibus jam liberius conspicit. Cumque ejus mentem terrena cura non praepedit, pro opere simul et cogitatione plangendo mentem suam omnipotenti Domino quid aliud quam holocaustum dedit?

4. Neque hoc a ratione videtur extraneum, quod propheta cum latus exterius diceret, et ostium portae nominaret, addidit: *Quae pergit ad Aquilonem.* In exteriori enim custodia litterae lex data tenebatur. Ostium vero portae est ipse historicus intellectus legis, qui ad Domini timorem ducit. Quae porta ad Aquilonem pergere dicitur, quia lex eadem sub timore mortis frigida Judaici populi corda constrinxit. Quasi enim per calorem ille populus curreret, si praecepta dominica ex amore servasset. Sed quia sub timore mortis propositae litteram custodivit, quasi in torpore frigoris remansit. Unde novis populis aeterna praemia amantibus, non autem temporalia tormenta timentibus, atque jam calentibus, dicitur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater* **(Rom. VIII, 15)**. Dicatur autem: *Quatuor mensae hinc, et quatuor mensae inde per latera portae.* Dum enim fides et vita, doctrina et prophetia in bonorum mentibus custoditur, porta nostra, id est intellectus sacri eloquii, quatuor ex latere mensas habet. Cumque in proficientibus populis sancta praedicatio patientiam et benignitatem servat, quae prius in carnalibus circumcisionem et sacrificium custodivit, mensae quoque quatuor quasi ex alio latere monstrantur. Quae simul omnes

octo ad immolandum fiunt, quatuor videlicet interiores ad holocaustum, quatuor vero exteriores ad sacrificium, quia et hi qui in sancta Ecclesia fidem, vitam, patientiam atque benignitatem custodiunt, summis jam procul dubio virtutibus pollent; et hi qui in synagoga doctrinam et prophetiam, circumcisionem et sacrificium cognoverunt, alia offerendo, atque sibimetipsis alia retinendo, devotionis suae victimam omnipotenti Domino dederunt. Sed quia superius dictum est idcirco mensas quatuor interioris vestibuli constructas, ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato et pro delicto, unde mensae ipsae constructae sint inferius aperitur, cum subditur:

VERS. 42.---*Quatuor autem mensae ad holocaustum de lapidibus quadris exstructae.*

5. Quos enim hoc loco lapides quadros accipimus, nisi quoslibet sanctos, quorum vita in prosperitate atque adversitate novit fortiter stare? Lapis etenim quadrus aeque stat, in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus a bono opere non revocatur, lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statum habet, quia casum in qualibet permutatione **1406** non habet. Certe cum Judaeorum populum propheta a fide perire cognosceret, et sanctos apostolos surgere in Ecclesia praevideret, per quos multi sunt ex gentibus in fidei et vitae fortitudine solidati, in magna consolatione locutus est, dicens: *Lapides ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus* **(Isai. IX, 10)**. Videns quippe in sancta Ecclesia apostolos, Martyres, atque doctores surgere, de lapidum casu, id est de Judaeorum perditione minus doluit,

quia omnipotentis Dei aedificium, id est sanctam Ecclesiam de quadris lapidibus aedificari conspexit. Mensae ergo quatuor de quadris lapidibus construuntur, quia fides et vita, patientia et benignitas de vita sanctorum in exemplum datae sunt sequentibus populis, ut jam vestibulum mensas habeat, id est virtutes vitae populus teneat, in quibus omnipotenti Deo orationis sacrificium in ara sui cordis incendat. Quidquid enim boni fideles sanctae Ecclesiae populi vel fecerunt, vel faciunt, hoc in exemplum de praedicatorum suorum vita susceperunt. Unde enim mensas hoc vestibulum haberet, nisi quadros lapides invenisset? Ut enim unum de quadris lapidibus breviter ad medium deducamus, vultis, fratres charissimi, fidem videre? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* **(Philip. I, 21)**. Vultis vitam cognoscere? *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* **(Galat. VI, 14)**. Vultis patientiam audire? *Usque in hanc horam et esurimus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus* **(I Cor. IV, 11-13)**. Vultis benignitatem cognoscere? *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* **(II Cor. XII, 15)**. Ac ne forsitan credamus quia eorum amori pro quibus impendi desiderat debitor fuerit, mox ad eosdem discipulos subjungit, dicens: *Licet plus vos diligens, minus diligar* **(Ibid.)**. Cum ergo a populo fideli ad imitandas virtutes sanctorum praedicatorum vita cognoscitur, profecto in vestibulo de quadris lapidibus mensae construuntur. Habuit vero et Synagoga spiritales patres in doctrina atque prophetia, ex quibus exemplum vitae in virtutibus traheret. Sed rudis ejus populus, magis per timorem serviens quam per amorem sequens, vitam patrum noluit imitari quam vidit, atque

ideo porta exterior quae ad Aquilonem pergit, mensas non habet ad holocaustum. Sed quia haec moraliter diximus, restat adhuc ut easdem mensas per intelligentiam typicam perscrutemur.

6. Porta etenim nostra in interiori vestibulo quatuor mensas habet, quia sancta Ecclesia [quatuor evangelistarum praedicatione erudita est, per quorum doctrinam didicit cor in amorem Dei omnipotentis ascendere, et suas ei in sacrificio cogitationes immolare. Quarum duae hinc, et duae inde esse referuntur, quia duo evangelistae et quae de Domino viderunt attestati sunt, et duo illa narraverunt quae praecedentium auditu didicerunt. **1407** Vel certe quatuor mensae sunt interioris vestibuli, hoc quod patenter aspicimus, quia sancta Ecclesia] ad eruditionem fidelium populorum quatuor regentium ordines accipit, quos Paulus ex dono omnipotentis Dei enumerat, dicens: *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores* **(I Cor. XII, 28; Ephes. IV, 11)**. Pastores vero et doctores unum regentium ordinem nominat, quia gregem Dei ipse veraciter pascit qui docet. Habuit quoque et porta exterior mensas quatuor, quia videlicet Synagoga obsequii exterioris observantiam per principes sacerdotum et seniores populi, per Scribas atque Pharisaeos tenuit. Qui scilicet Pharisaei etiam legis doctores vocati sunt. Sive autem exteriori seu interiori portae duae mensae hinc sunt, et duae inde, quia in exordiis suis sancta Ecclesia apostolos et prophetas habuit. Prophetas autem dicimus non eos qui in veteri populo fuerunt, sed eos qui in sancta Ecclesia post apostolos sunt exorti. Posteriori quoque tempore, quod nunc est, habet evangelistas atque doctores. Quia

vero Evangelium bonum nuntium dicitur, evangelistas utique appellamus qui rudibus populis bona patriae coelestis annuntiant. Qui videlicet evangelistae atque doctores et priori quidem tempore fuerunt, sed et nunc usque, Domino largiente, permanent, quia adhuc quotidie et infideles populos ad fidem trahi, et fideles quosque in bonos mores per doctores erudiri cognoscimus. Apostoli vero et prophetae ab hoc tempore praesenti sublati sunt, atque ideo dicimus quia mensae hae portae nostrae, id est sanctae Ecclesiae quasi in alio latere fuerunt.

7. Habet et porta quae pergit ad Aquilonem duas mensas hinc, et duas inde, eosdem quos diximus principes sacerdotum et seniores populi in majori auctoritate regiminis, Scribas quoque et Pharisaeos, qui rudi illi populo minori loco praefuerunt. Sed hae mensae juxta portam sunt quae ad Aquilonem pergit, quia cum quatuor isti ordines populo praeessent, Synagoga in persecutione Redemptoris nostri saeviens, ad torporem perfidiae prorupit. Quae tamen mensae habuerunt sacrificium, quod juxta solam litteram tenuerunt; unde et ad torporem frigoris lapsi sunt, quia flamma spiritus succensi non sunt. Interiores autem mensae holocaustum habent, quia sive in cordibus apostolorum atque prophetarum, seu in mente evangelistarum atque doctorum, ignis spiritus et arsit et ardet. Qui pro eo quod omnem eorum cogitationem in bono opere absumit, flamma amoris Dei quasi holocaustum totum simul quod invenit incendit. Holocaustum enim offerunt, qui sive in bono opere, seu in sancta cogitatione medullitus accenduntur

8. Mensae vero hae ex quadris lapidibus factae sunt, quia dum quotidie sacri eloquii in suis cordibus verba meditantur, ad

offerendum Domino orationis holocaustum, quasi ex quadris lapidibus construuntur. Verba etenim Scripturae sacrae lapides quadri sunt, quia ubique stant, quia ex nullo latere **1408** reprehensibilia inveniuntur. Nam in omne quod praeteritum narrant, in omne quod venturum annuntiant, in omne quod moraliter praedicant, in omne quod spiritaliter sonant, quasi in diverso latere statum habent, quia reprehensionem non habent. Corda itaque sanctorum mensae Dei sunt ad holocaustum ex quadris lapidibus constructae, quia qui Dei verba semper cogitant semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant. Unde scriptum est: *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus* **(Psal. XXXVI, 31)**. Et unde rursum dicitur: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* **(Psal. CXVIII, 11)**. Sed quia mensae hae unde sint constructae cognovimus, etiam cujus mensurae sint audiamus. Sequitur:

VERS. 42.---*Longitudine unius cubiti et dimidii, et latitudine cubiti unius et dimidii, et altitudine cubiti unius.*

9. Hunc locum quidam exposuit, dicens: Longitudine et latitudine habent mensae cubitum unum et dimidium, id est per quadrum, quae simul juncta tres cubitos faciunt. Qui tres cubiti habent in altitudinem cubitum unum, ut mysteria Trinitatis unius cubiti, hoc est divinae majestatis, mensuram conservent. Qui videlicet sensus expositionis idcirco non potest stare, quia in illa summa Trinitate quae omnia creavit, omnia continet, dimidium nihil est, nec ex duobus dimidiis aliquid unum. Neque enim quidquam imminutionis ac decisionis habet illa substantia, quae semper incommutabilis manens, nec detrimentum recipit, nec augmentum. Saepe autem diximus longitudinem ad longanimitatem spei,

latitudinem vero ad charitatis amplitudinem pertinere. Mensae ergo quae ad holocaustum constructae sunt, longitudine cubiti unius et dimidii metiuntur, quia sancti patres atque doctores, qui se longanimiter ad secreta spei intimae extendunt, per hoc quod in virtutibus vivunt, quantum ad humanam quidem mensuram pertinet, valde perfecti sunt, quantum vero ad divina illa mysteria quae plene ab homine capi non possunt, quandiu in hac mortali carne subsistunt, perfecti non sunt. In semetipsis ergo jam cubitum habent, in Deo autem adhuc cubitum non habent, quia jam quidem in virtutibus plene proficiunt, sed tamen aliquid de Deo adhuc ex parte cognoscunt. Ecce iterum in mensura mensae ad testimonium Paulus occurrit. Videamus an ejus vita cubito integro mensuretur. Dicit enim: *Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus* **(Philip. III, 15)**. Videamus si in his quae de Deo sentit jam se ad percipienda mysteria perfecte tetenderit: *Ego me non arbitror comprehendisse* **(Ibid., 13)**. Qui rursus ait: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* **(I Cor. XIII, 9, 10)**. Qui iterum dicit: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* **(Ibid., 12)**. Si ergo perfectus est, et ex parte cognoscit, cubitum habet, quantum ad se, sed tamen dimidium super se. Tendantur ergo in longanimitate spei corda sanctorum, tendantur in perfectione quam habent, cubito uno. Sed quia adhuc plene videre non possunt, **1409** ubi spei oculum mittunt, hoc quod super unum cubitum habent, in dimidio cubito recidatur, quatenus in hac vita semper se imperfectos aspiciant, et ardentius ad perfectionem currant.

10. Habent quoque mensae latitudinem cubiti unius et dimidii, quia sanctorum corda in charitatis amplitudine dilatata juxta proximum quem diligunt et vident habent cubitum. Possunt enim perfecte diligere quos perfecte valent juxta aliquid scire. Omnipotentem vero Deum medullitus diligunt, medullitus sequuntur, sed tamen tantum diligere non possunt quantum debent, quia adhuc non valent videre quem diligunt; et mensura amoris minor est ubi adhuc mensura minor est cognitionis. Super unum ergo cubitum habent et dimidium, quia hoc eis jam in animo integrum est, quod valde minus est, id est charitas cum proximo; atque illud in eis quod valde majus est, id est amor Dei quem non vident, adhuc integrum non est. De hoc amore, qui hic incipitur, ut ex visione Domini in aeterna patria perficiatur, recte Isaias loquitur, dicens: *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem* **(Isai. XXXI, 9)**. Plus est autem caminum esse quam ignem, quia esse ignis et parvus potest, in camino autem vastior flamma succenditur. Sion vero speculatio, Jerusalem autem visio pacis dicitur. Pacem vero nostram hic interim speculamur, ut illic postmodum plene videamus. Ex amore ergo Domini in Sion ignis est, in Jerusalem caminus, quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus, ubi de illo aliquid contemplamur; sed ibi plene ardebimus, ubi illum plene videbimus quem amamus.

11. Altitudo vero mensarum est cubiti unius. Quae est enim altitudo sanctorum, nisi fides invisibilium? Per fidem enim creditur quod non videtur, atque ideo per hanc justorum mens ad altitudinem ducitur, ut cuncta visibilia despiciat in terra, et ea quae audit invisibilia sequatur in coelo. Sed unum cubitum habet altitudo mensarum, quia unitas est fidei in corde

omnium sanctorum. Unum Deum esse Trinitatem et patres testamenti veteris, et praedicatores professi sunt testamenti novi. Altitudo itaque mensarum nil uno cubito amplius, nil minus habet, quia in magna sibi unitate concordat omnium fides patrum. Sed hi qui, jam in longanimitatem spei summis virtutibus proficientes, unum et dimidium cubitum habent, atque in latitudine charitatis uno ac dimidio cubito metiuntur, in altitudinem vero fidei uno cubito excrescunt, magni sunt, et summa admiratione venerandi. Debent ergo parvulorum animas in sinu suae conversationis suscipere, atque eas in conspectu Domini velut quoddam holocaustum ac sacrificium offerre. Unde aperte sequitur:

IBID.---*Super quas ponunt vasa in quibus immolatur holocaustum et victima.*

12. Quid enim sunt animae fidelium, nisi vasa sancta quae verba pietatis capiunt, ut ex eorum mentibus holocaustum vitae atque orationis immoletur? Hinc est enim quod Paulus cum adhuc **1410** rudis esset in fidei vocatione, quia jam Domini verba perceperat, et coelesti gratia plenus erat, vas appellatur, cum dicitur: *Vas electionis mihi est* **(Act. IX, 15)**. Hinc pastores atque doctores propheta admonet, dicens: *Mundamini qui fertis vasa Domini* **(Isai LII, 11)**. Ipsi etenim quasi mensae vasa Domini portant, qui vitam fidelium erudiendo tolerant, ut quandoque hanc Domino ad holocaustum et sacrificium perducant. Sed neque hoc negligenter intuendum est, quod in eisdem vasis holocaustum et victima dicitur immolari. Holocaustum enim, sicut et superius diximus (*Hom. superiori*), victima est, non tamen victima semper holocaustum, quia cum quid ex parte offertur, et ex parte retinetur, sacrificium quidem est, sed holocaustum

non est. Sunt vero in multitudine magna fidelium alii qui ea quae mundae sunt omnia relinquunt, cuncta quae possident tribuunt, nil sibimetipsis reservant, ad aeternam patriam medullitus anhelant, seque ex toto corde in lacrymis mactant. Hi videlicet vasa super mensam sunt, in quibus immolatur holocaustum. Et sunt alii qui curam propriae domus gerunt, de filiis cogitant, eisque haereditatem servant, qui tamen, aeterni judicii memores, misericordiam pauperibus impendunt, alimenta ac vestimenta eis ex parte qua decreverint tribuunt. Hi nimirum vasa super mensam sunt, in quibus victima immolata est, non holocaustum. Quia enim patientia et doctrina sanctorum admonendo et sustinendo, suadendo atque terrendo, aliorum corda usque ad hoc erudiunt, ut omnia deserant, et totos se in amore Domini accendant, aliorum vero ad hoc usque instruunt, ut quia omnia relinquere non valent, vel ex parte qua praevalent, misericordes fiant, et carnis curam cum animae cura partiantur, mensae Domini de quadris lapidibus instructae vasa portant, in quibus immolatur holocaustum et victima, quia et perfecti, sicut dictum est, cum omnia deserunt, totum cor in amorem Domini accendunt, et imperfecti sacrificium offerunt, quod ex parte devoverunt. Sequitur:

VERS. 43.---*Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum.*

13. Quid est hoc, quod mensarum labia palmo metiuntur, nisi quod in palmo manus tenditur, et sancti patres atque doctores ea praedicant in quibus auditorum opera tenduntur? Quasi enim manum extendimus cum opera nostra dilatamus. Loquatur ergo unusquisque doctor, cor audientis exerceat, otiosorum torporem excutiat. Quos dum ad bona opera

tetenderit, palmum se habere in labiis ostendat. Pensandum quoque quia in palmo digitus major ac minimus tenditur. Quid vero in majori ac minimo digito, nisi magna et extrema actio designatur? Palmum ergo mensae in labiis habeant, quatenus in doctorum suorum praedicatione magna opera faciat, ut agere et minima non omittat. Sic minimis intentus sit, ut piger in agendis majoribus non sit. Unde per Evangelium Veritas dicit: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, quia decimatis mentham et anethum et cyminum, et relinquitis quae graviora sunt legis,* **1411** *judicium, misericordiam et fidem; haec oportuit facere, et illa non omittere* **(Matth. XXIII, 23)**. Per judicium quippe, et misericordiam, et fidem, major digitus operationis ostenditur. Per mentham vero, et anethum, et cyminum, digitus procul dubio minimus figuratur. Haec ergo oportuit facere, et illa non omittere, quia si opus nostrum palmo metiri volumus, sic necesse est ut tendatur minimus, quatenus major digitus non attrahatur.

14. Bene autem cum mensarum labia metiuntur, et mensura palmi dicitur, additur *unius,* ut ex doctorum praedicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoque unitas mentium servetur in opere, ne per opus bonum quod alter agit, alter ad discordiae malum prorumpat. Ita enim bona facere opera debemus, ut per haec quoque cum his cum quibus vivimus unanimitatem, in quantum recte possumus, conservemus, id est non deserendo quod agimus, sed praeveniendo bonis persuasionibus malum discordiae quod timemus. Sic in suis operibus unitatem palmi custodiens Paulus, discordiam generari prohibebat, cum quemdam lapsum atque ab Ecclesia abjectum jam velle recipere Corinthios videret, dicens: *Si cui aliqud donastis, et ego. Nam et ego si quid donavi, propter vos*

in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana **(II Cor. II, 10)**. Qui videlicet solet de bonis mala generare, et hoc quod charitate agitur ad discordiam trahere. Unde et mox de ipso subjecit, dicens: *Non enim ignoramus cogitationes ejus* **(Ibid., 11)**. Doctor autem qui per bona quae praedicat in suis auditoribus rectam operationem format, si mentes operantium ad unanimitatem non ligat, in labiis palmum habet, sed eam quae dicta est palmi unitatem non habet.

15. Pensandum vero est valde quod dicitur, quia earumdem mensarum labia interius sunt reflexa. Tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur si faciunt quod loquuntur. Recte autem cum reflexa intrinsecus mensarum labia dicuntur, additur quoque *per circuitum,* ut non in una qualibet se parte considerent, atque ex alia semetipsos perpendere praetermittant, sed ubique semetipsos inspiciant, et, in quantum praevalent, studeant singula opere implere quae docent, ne si praedicantes facere bona dissimulant, sui vastatores sint cultores alieni. O doctor, ecce jam mensa es, jam vasa portas, jam in vasis fidelibus pondus holocausti et victimae sustines, sed intus reflecte labium, id est ad cor revoca sermonem. Audi quod dicis, operare quod praedicas. Si enim negligis implere quod praedicas, aliis messem seminas, et ipse a frumenti participatione jejunas. Unde scriptum est: *Cujus messem famelicus comedet* **(Job. V, 5)**. Messem quippe doctoris qui bona loquitur, sed non operatur, famelicus comedit, quia is qui panem justitiae esurit operatur mandata quae audit, et ipse fructum non habet, qui seminando laboravit. Hinc Salomon ait: *Abscondit piger manum*

suam sub ascella, nec ad os suum porrigit eam **(Prov. XIX, 24)**. Nemo ita piger est, ut ad os manum vel comedendo reducere laborem putet. Sed piger nec ad os manum suam porrigit, qui nec hoc vult operari **1412** quod dicit. Hinc iterum de bene docentibus et male operantibus dicitur: *Filii Ephraim intendentes areum, et mittentes sagittas, conversi sunt in die belli* **(Psal. LXXVII, 9)**. Intendunt arcum, atque sagittas mittunt, qui Scripturae sacrae sententias proponunt, et verbis rectis auditorum vitia feriunt; sed convertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentatione vitiorum, et pectus opponere non volunt, quia in tentationum certamine non resistunt. Hinc iterum dicitur: *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello* **(Psal. LXXXVIII, 44)**. Gladius quippe doctoris est sermo Dei. Unde per Paulum dicitur: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* **(Ephes. VI, 17)**. Omnipotens itaque Deus cum doctorem respicit nolle operari quae dicit, in die belli adjutorii ejus gladium avertit, quia in tentationum certamine non permittit ei esse in adjutorium doctrinae verba quae dedit. Habet igitur gladium, sed hunc in bello non adjuvat, quia cum adversitas tentationis eruperit, verbi obliviscitur quod docebat. Ecce enim de patientia forsitan sermo doctori est, doctrinae suae magisterio dicere cogitur qualiter contra illata damna, contra auditas contumelias patientia servetur. Sed cum ipse vel damno, vel contumelia fuerit lacessitus, oblitus quod docuerat, vel in laesione proximi, vel in reddenda gravius contumelia excedit. Inter haec itaque cogitet quia mensa Dei est, labium intus reflectat, servet quod praedicat. Scriptum quippe est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* **(Luc. XXI, 19)**. Et rursum scriptum est: *Doctrina viri per patientiam noscitur* **(Prov.**

XIX, 11). Si itaque index doctrinae patientia est, tanto quisque doctus ostenditur, quanto patiens fuerit. Hinc est enim quod bonus ille discipulus qui magistrum tolli in aera videbat, per magnae charitatis affectum clamabat, dicens: *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus* **(IV Reg. II, 12)**. Quid est, fratres charissimi, quod Elias currus Israel et auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et currus dicitur et auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.

16. Fortasse autem contra vanam gloriam sermo doctori est, et mire insinuans qualiter debeat declinari, eisdem ipsis sermonibus vanam gloriam quaerit, quibus contra eamdem vanam gloriam disputat. Si igitur hoc appetit adipisci quod prohibet, mensa intus labium non reflectit. Tunc autem mensa Domini ex quadris lapidibus exstructa habebit intus labium reflexum, si studuerit audire quod dicit. Scriptum quippe est: *Ne quid per contentionem, neque per inanem gloriam* **(Philip. II, 3)**. Atque eisdem rursus egregius praedicator dicit: *Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis* **(I Thess. II, 6)**. De praedicationis etenim labore laudem transitoriam quaerere, quid est aliud quam rem magnam vili pretio venundare? Sed est in doctrinae verbis grave periculum, quia saepe sermonem docentium favores audientium sequuntur, et cum doctores ab eo quod bene innotuerint, apparere jam minores in dictis nolunt, doctrinae verbum quod pro acquirendis animabus auditorum **1413** ex omnipotentis Dei amore inchoaverunt, in hoc postmodum pro acquirendis laudibus laborant. Et qui in

verbis Dei quaerebant prius lucra spiritalia, temporales postmodum favores sequuntur. Unde fit ut sive recta quaelibet opera, seu sanctae doctrinae verba, in omnipotentis Dei judicio pereant, cum per haec quisque transitoriis favoribus anhelat. Hinc etenim per prophetam Judaeae dicitur quod in se ipsa incauta mens invenit, si saltem post culpam suas caute cogitationes rimetur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus* **(Jerem. XI, 16)**. Olivam quippe uberem et pulchram, fructiferam et speciosam Dominus vocat, cujus vel efficaciam in operatione, vel sancta studia in verbis scientiae approbat. Sed ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, quia cum laudari quis coeperit, erubescit forsitan minor videri quam dicitur, et studet esse quod dicatur. Vox enim grandis loquelae est favor adulantis. Unde scriptum est: *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, similis est maledicenti* **(Prov. XXVII, 14)**. Ad vocem ergo loquelae grandis exarsit ignis in ea, quia in magnitudine favoris flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia olivae fruteta comburuntur, quia ante omnipotentis Dei oculos, vel quae bene gesta vel quae scienter sunt dicta depereunt, cum jam non amore Domini, sed intentione transitoriae laudis fiunt. Sic enim saepe cogitationi bonae cogitatio sinistra subjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat animus cognoscat. Unde praedicator egregius, cum loquens subtiliter diceret: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* **(Hebr. IV, 12)**. illico subjunxit: *Compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* **(Ibid.)**.

17. Distinguit enim Dei sermo compages et medullas, quia discernit cogitationes et intentiones cordis. Per compages quippe ossibus ossa junguntur. Et saepe dum quid recta cogitatione agimus, sed subito in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus quod prius facere pro veritate coeperamus, quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quaedam in spiritu compages fiunt. Sed habent ossa, quae in compage juncta sunt, etiam medullas. Quod praedicator sanctus apertius intulit, cum subjunxit: *Discretor cogitationum et intentionum cordis* **(Ibid.)**. Compages enim nostrae cogitationes sunt, medullae autem intentiones. Et saepe aliud cogitamus, atque aliud est quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum praemio pupilli vel viduae causam defendat, et, fortasse Ecclesiam ingrediens, in suis precibus Deo dicat: Tu vides quia causam pupilli et viduae defendo, iste procul dubio quod cogitat scit, sed quo intendat ejus cogitatio ignorat. Aliud quippe cogitat, atque alio intendit. Non enim defensionem pupilli vel viduae, sed mercedem nummorum quaerit. Nam tolle temporale praemium, et pupillum ac viduam non defendit. Sermo itaque Dei discretor est cogitationum et intentionum cordis, quia non aspicit **1414** quid apud temetipsum cogitas, sed per medullam compagis, id est per intentionem cogitationis quid accipere requiras. Restat ergo ut doctor, cum loquitur, quasi mensa Dei semper intus labium reflectat, ne aut mala intentione loqui inchoet, aut cum bene coeperit, seductus favoribus, in appetitum alium declinet.

18. Fortasse autem de custodia disciplinae sermo doctori est. Et saepe etiam contingit ut disciplinae regulam quam scit dicere nesciat tenere, quia aut, nimio zelo motus, minus se per

mansuetudinem temperat; aut nimia mansuetudine placidus, minus se contra vitia in zeli stimulo inflammat. Magna enim consideratione debemus pensare quod scriptum est, quia in vasis templi inter coronas et plectas, boves et leones et cherubim exsculpta sunt, et subter boves et leones lora dependentia **(III Reg. VII, 29)**. Coronae quippe signum victoriae, plectae autem concordiae unanimitatem signant; Cherubim vero plenitudo scientiae dicuntur. Sacerdotes enim atque doctores inter coronas et plectas, id est inter fortitudinem boni operis qua ad victoriam currunt, et charitatis concordiam, qua a se vicissim non discrepant, per boves et leones atque cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiae quam habent necesse est ut et boum mansuetudinem teneant, et fervorem leonum, quatenus in disciplina quam praedicant, et ex sancto zelo accensi sint, et ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus subter se lora dependeant, ut disciplinae suae retinacula quibus ipsi ligati sunt etiam subjectis suis sollicite impendant. Subter eos enim lora dependere est custodiae vincula subditis tenere. Quae tunc recte servantur, cum nec boum mansuetudo in zeli fervore amittitur, nec leonum terror in mansuetudine declinatur. Tanta quippe debet esse discretio, ut nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa, ne si inordinate culpa dimittitur, is qui est culpabilis, in reatu gravius astringatur; et rursus, si culpa immoderate retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quanto erga se nil ex benignitatis gratia agi considerat. Exhibenda itaque pravis est asperitas in ostensione, charitas in mente; ut et dura ostensio delinquentem coerceat, et charitatis custodia mercedem mansuetudinis non amittat.

19. Ecce, dum loquor, Joseph animum pulsat, ut ad ostendenda quae dico ipse testis veniat. Certe somnium quod de profectu suo viderat, fratribus narrans, per hoc quod innocenter retulit, malitiae contra se stimulos excitavit **(Genes. XXXVII, 5)**. Ab eisdem fratribus Ismaelitis est venditus **(Ibid., 21)**, in Aegyptum ductus, mira omnipotentis Domini dispensatione eidem Aegypto praelatus est **(Ibid., XLI, 41)**. Cumque in terra Chanaan fames exsurgeret, fratres ad Aegyptum venerunt, Joseph praelatum Aegypto repererunt, eumque submissis ad terram cervicibus adoraverunt **(Ibid. XLII, 7)**. Et quia mutare Dei consilium non valuerunt, quem ideo vendiderant ne adorarent, adoraverunt quia vendiderunt. Tunc ipse vir Dei, spiritu discretionis plenus, cognovit fratres non cognitus. Sed memor culpae, et remissor injuriae, mala fratrum nec reddere studuit, nec sine purgatione laxare. **1415** Nam suspecta voce protinus dixit: *Exploratores estis vos; ut videatis infirmiora terrae venistis, jam nunc experimentum vestri capiam. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc* **(Ibid. XLII, 9)**. O jaculum in corde! Peregrini venerant, famis periculum fugiebant, frumenta quae quaerebant non acceperant, et feriri se insuper jactatione criminis videbant. Inter haec ducuntur ad carcerem, et, post triduum educti, adhuc in eadem asperitate terrentur. Jam reditur ad cor, jam culpae memoria pulsat animum, atque inter se invicem locuuntur: *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, cum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco venit super nos ista tribulatio* **(Ibid., 21)**. In his autem cor Joseph amore vincitur, secessum petit, solvit flendo quod pietati debuit. Severus ad fratres revertitur, ut cruciatus eorum animus a culpa liberaretur. Post haec unus

religatur in vinculis, dimittuntur caeteri cum frumentis, ut unus frater veniat, quem minimum habere se dixerant **(Ibid., 34, 35)**. Venit postmodum frater. Vincebat mentem pietas cum frater innocens videretur; sed permanebat in ostensione asperitas, ut fratres noxii purgarentur. Frumenta dantur, scyphus in sacco junioris fratris absconditur, furti post eos quaestio movetur **(Genes. XLIV, 2)**. Mittitur ut reducantur, addici in servitutem decernitur apud quem scyphus fuisset inventus. In sacco ultimi fratris invenitur. Tunc Benjamin reducitur, afflicti omnes fratres sequuntur. O tormenta misericordiae! Cruciat, et amat. Reversi igitur, in terram cum lacrymis prostrati, veniam postulant. Memores enim quid de illo patri promiserant, moerore intolerabili tabescebant. Tunc se ultra cohibere non valens pietas clausa prorupit ad medium, et excussit charitatis lacrymas de vultu severitatis **(Genes. XLV, 1)**. Detersa est ira quae apparebat, et non erat; ostensa misericordia quae erat, et non apparebat. Sic vir sanctus facinus fratrum et dimisit, et vindicavit. Sic in vigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus nec sine ultione pius existeret, nec sine pietate districtus.

20. Ecce hoc est magisterium disciplinae, ut culpas et discrete noverit parcere, et pie resecare. Qui autem discretionis spiritum non habent, aut sic dimittunt peccata, ut non corrigant, aut sic quasi corrigendo feriunt, ut non dimittant. Doctor ergo cui de disciplinae moderamine loqui necesse est mensam Dei esse se sciat, atque intus labrum reflectat, ut quod docendo loquitur, hoc sub discretionis spiritu vigilanter operetur. Nec si quaedam sibi deesse considerat, oportet ub ab eorum praedicatione conticescat. Locus quippe ejus exigit ut loquatur. Verbis ergo suis semetipsum conveniat; et si non

ideo loquitur quia non operatur, ideo operetur quia loqui compellitur. Ubi itaque se conspicit opere implere quod dicit, ibi auditores admoneat, eorumque animos ad studium bonae operationis accendat. Ubi autem necdum se videt implesse quod loquitur, ad bona de quibus auditores admonet se quoque pariter inflammet, ut ipse etiam simul discat in opere **1416** quod per eum loquitur veritas in praedicatione. Saepe enim quod vivendo nescimus, compulsi locutione doctrinae, loquendo discimus; et dum cogitatione nostrae pigritiae reatus nascitur in mente, eamdem mentem compunctio subito oborta transverberat, et sua voce excitata evigilat in opere, quae prius torpebat in otio sine voce. Ecce autem cum mensae labium palmo tenditur, id est cum per doctoris os contra vitia disputatur, atque ad bona opera cor auditorum accenditur, multi qui ejus verba audiunt quanta vel qualia mala perpetraverint recognoscunt; atque ad eum confitentes veniunt, eumque pro peccatis suis intercessorem fieri cum fletibus petunt, ut ipse orando deleat culpas quas praedicando manifestat. Unde et subditur:

VERS. 43.---*Super mensas autem carnes oblationis.*

21. Doctores etenim sancti cum pro compunctis peccatoribus atque confitentibus omnipotenti Domino preces fundunt, per hoc quod veniam pro carnali eorum vita postulant, mensae Domini carnes oblationis portant. Ut ergo sint pro quibus conversis et flentibus rogent, oportet ut eisdem prius in peccato positis praedicent; et cum jam coeperint peccata relinquere, atque ad innocentiam festinare, necesse est ut erga eos in ore doctoris incrementa praedicationis excrescant, et quibusdam doctrinae suae verbo tanto vehementius insistat, quanto eos gravius cecidisse considerat, videlicet sciens quod

ipse tanto mercedem magnae remunerationis accipiat, quanto verbis suis alios de profundioribus peccatis levat.

22. Libet inter haec sancti Evangelii ad medium verba deducere, cujus sacra historia per hoc quod factum miraculum narrat, mira quae quotidie aguntur denuntiat. Nam cum fessi atque jejuni ad Dominum populi convenissent, discipulis Dominus dixit: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quid manducent; et si dimisero eos jejunos in domos suas, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt* **(Marc. VIII, 2, 3)**. Turba triduo Dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata quae perpetravit, per poenitentiam declinans, ad Deum se in opere, locutione, atque in cogitatione convertit. Quos dimittere jejunos in domum suam Dominus non vult, ne deficiant in via, quia videlicet conversi peccatores in praesentis vitae via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinae sanctae pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur in hujus peregrinationis itinere, pascendi sunt sancta admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia quae processit ex ore Veritatis, qua dicitur: *Quidam enim ex eis de longe venerunt* **(Ibidem)**. Est autem qui, nihil fraudis et nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de longinquo non venit, quia per incorruptionem et innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus, ad ministerium spiritale conversus est. Neque iste venit de longinquo, quia usus conjunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, **1417** alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad poenitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei servitium

convertuntur: hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Nam et prodigus filius, qui patrem deseruit, abiit in regionem longinquam, in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit **(Luc. XV, 16)**. Dentur igitur alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia conversis peccatoribus doctrinae sanctae cibi praebendi sunt, ut in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt. Qui saepe a doctoribus tanto necesse est ut a largioribus cibis doctrinae satientur, quanto fessi majoribus vitiis venerunt. Et cum jam **1418** confiteri coeperint mala quae commiserunt, atque confitendo relinquere et fletibus punire, necesse est ut doctores sancti pro eorum peccatis sollicite exorent, quatenus mensae Domini carnes oblationis portent. Quod quoties agunt, in hoc quod pro alienis peccatis interveniunt, sua ante Dei oculos amplius detergunt, quia ea ipsa charitate se justificant, qua mira pietate pro alienis iniquitatibus se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse doctoribus pro conversis peccatoribus lacrymas fundere, quando et ipse qui omnia creavit, homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X [*Al., XXII*].

Quatuor versus, a 44 ad 48, exponendo sanctus Doctor de fide, spe, charitate, ac de bonis operibus Deo in cordis altari offerendis liberius excurrit, et hoc opus absolvit.

1417 1. Sacri eloquii mysticos sensus Propheta per aspirationem sancti Spiritus prudenter intelligens, dicit: *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea* **(Psal. CXVIII, 129)**. Qui rursus ait: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* **(Ibid., 18)**. Qui enim necdum occulta de apertis intelligit, oculos velatos habet. Qui vero jam intelligit, revelatis oculis mirabilia de lege Dei considerat, quia, spiritaliter litterae verba discutiens, quae interius magnitudo lateat pensat. An non est mirabile quando aliud auribus sonat, atque aliud exit ad intelligentiam quod non sonabat? Cui ergo verbum sacri eloquii nisi lapidi simile dixerim, in quo ignis latet? Qui manu quidem frigidus tenetur, sed, percussus ferro, per scintillas micat, atque hoc emittit ignem qui post ardeat, quod prius manus frigidum tenebat. Sic etenim, sic verba sunt sacri eloquii, quae quidem per narrationem litterae frigida tenentur; sed si quis haec, aspirante Domino, intento intellectu pulsaverit, de mysticis ejus sensibus ignem producit, ut in eis verbis post animus spiritaliter ardeat, quae prius per litteram ipse quoque frigidus audiebat. Ecce enim propheta dicit:

VERS. 44.---*Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portae respicientis ad Aquilonem; et facies eorum contra viam Australem unam, ex latere portae Orientalis quae respiciebat ad viam Aquilonis.*

2. In his itaque verbis litterae ad amorem Dei cujus animus infervescat, quin potius non ex ipsa eorum lectione tepefiat? Si autem latens in littera spiritalis medulla discutitur, per hoc scintillae intellectus exeunt, et incendunt quod prius cordis auribus frigidum sonabat. Nobis tamen, ut se aspirante

Domino interior intellectus aperiat, **1418** ipsa prius narratio juxta litteram patefiat. Ait enim quia porta erat interior, atque extra hanc atrium, quod appellatur interius; ac deinde aliae, id est Aquilonis, Austri, atque Orientis portae describuntur, ut ipsum atrium quod esse extra portam interiorem dixerat a portis exterioribus esse interius ostendat. Atrium ergo hoc et foris, et intus est: foris, quia extra portam interiorem; intus autem, quia intra portas exteriores. Gazophylacia quoque cantorum esse in hoc eodem atrio narrantur, quae a latere portae posita dicuntur respicientis ad Aquilonem. Sed ipsa eadem gazophylacia ad Australem viam respiciunt. Et subditur: *Ex latere portae Orientalis, quae respiciebat ad viam Aquilonis.* In quibus verbis aperte intelligitur quia cantorum gazophylacia inter latus portae respicientis ad Aquilonem, et latus portae Orientalis fuerant posita, quae porta videlicet respiciebat ad viam Aquilonis. Facies itaque gazophylaciorum contra viam Australem, sed positio inter portam erat Orientis et Aquilonis. Porta ergo interior habebat ex latere portam Aquilonis, ex alio quoque latere portam Australem. In fronte vero vestibuli Orientalis porta surrexerat, atque sic atrium quod erat extra portam interiorem, ut hoc quoque esset interius, portae exterius ambiebant.

3. Haec de verbis litterae sub brevitate transcurrimus, ut in eis sensus mysticos non breviter exquiramus. In parte autem superiori tres portae descriptae sunt, id est Orientis, Aquilonis, et Austri; moxque interioris atrii tres aliae narratae, id est Austri, Orientis, et Aquilonis, ac deinde porta atrii interioris dicta est, in qua mensae de quadris lapidibus exstructae memorantur; et porta quae respiciebat ad Aquilonem, in qua

mensae essent **1419** ad sacrificium, non ad holocaustum. Unde in interiori diximus significari Ecclesiam, in exteriori Synagogam. Sed, his expletis, rursum propheta incipit interiorem portam, atque tres alias, id est Aquilonis, Austri et Orientis describere, et in earum atrio interiori, quod erat extra portam interiorem, esse gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia perhibet. In quibus verbis quia de sanctae Ecclesiae institutione narrare alia ab eis quae prius dixerat coepit, patet quod interioris portae intellectum mutavit. Si enim sub uno intellectu omnia diceret, novo ordine ipsa atque alia non replicaret. Nam quomodo possumus extra portam interiorem atrium, gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia dicere, si per eamdem portam interiorem hoc loco sancta Ecclesia designatur? Cum enim cuncta haec intra ipsam sint, quomodo extra portam interiorem sunt, si extra Ecclesiam non sunt? Intelligi ergo porta interior potest ea de qua jam longe superius locuti sumus, quae contra portam Aquilonis et Orientalem dicitur posita, per quam figurari diximus aditum qui nobis ad interiora gaudia patriae coelestis aperitur, ut hic quoque per portas quae circa vestibulum narrantur sancta Ecclesia, per portam vero interiorem coelestis regni aditus figuretur. Sed ne quis me verba sancti Spiritus aestimet ad intellectum meum violenter inflectere, et dicat quia de porta interiori significationem sanctae Ecclesiae quam semel dixi mutare non debui, infulgente Dei omnipotentis gratia, quae coepimus ipsa teneamus, ut et porta interior signet Ecclesiam, quae nos ad interiora gaudia perducit; et gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia sint in atrio quod est extra portam, et tamen entra Ecclesiam non sint. Si enim subtili investigatione perquirimus, nil obstat intelligi ut

interiorem portam, sicut dictum est, sanctam Ecclesiam sentiamus. De qua nunc dicitur: *Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori.* Duo sunt etenim quae dicuntur: porta interior, atque extra hanc atrium interius, quatenus hoc ipsum atrium et exterius sit et interius, a porta exterius, interius autem, sicut praediximus, portis quas narrando subjunxit.

4. Sancta enim Ecclesia duas vitas habet, unam quam temporaliter ducit, aliam quam in aeternum recipit; unam qua laborat in terra, aliam qua remuneratur in coelo; unam qua mercedes colligit, aliam vero in qua jam de receptis mercedibus gaudet, atque in utraque vita offert sacrificium. Hic videlicet sacrificium compunctionis, et ilic sacrificium laudis. De hoc sacrificio dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* **(Psal. L, 19)**. De illo autem scriptum est: *Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta* **(Ibid., 21)**. De quo rursus ait: *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar* **(Psal. XXIX, 13)**. In utroque autem sacrificio carnes offeruntur, quia hic oblatio carnis est maceratio corporis, ibi oblatio carnis est in laudem Dei gloria resurrectionis. Tunc quippe illic quasi in holocaustum offeretur caro, quando in aeterna incorruptione permutata nil contradictionis, nil mortalitatis habuerit, quia tota simul amoris ejus ignibus accensa in laude sine fine permanebit. **1420** Porta ergo haec interior, id est in sancta Ecclesia habeat interiora sua, illam videlicet vitam quae adhuc oculis nostris occulta est. Habeat extra eam atrium exterius, id est vitam praesentem, in qua omne bonum agitur, ut ad bonum sine fine perveniatur.

5. Sint ergo in interiori atrio, quod tamen extra portam est, gazophylacia cantorum, quia electi quique atque perfecti, qui adhuc in carne mortali subsistunt, et intra sinum sunt sanctae Ecclesiae, et adhuc extra secreta gaudia interioris vitae. Sint gazophylacia cantorum interius et exterius, quia corda sanctorum quae omnipotenti Deo desiderium suum per magni ardoris amorem cantant, et jam intus sunt, et adhuc intus non sunt, quia in sanctae Ecclesiae sinu posita, et jam vident per spiritum quod intus fortiter ament, et tamen adhuc non vident perfecte quod amant. Sint itaque in interiori atrio gazophylacia, sed extra portam, ut jam et intus sint per desiderium, et adhuc intus non sint per plenarium effectum. Quid sunt autem gazophylacia cantorum, nisi sancta desideria amantium? Qui praecepta divina quasi quasdam divitias custodiunt in mente, quas cantando servant, quia mandata Dei non ex timore, sed ex amore perficiunt; eisque ipsis sacri eloquii praeceptiones cantabiles fiunt, quia non ex tristitia, sed ex desiderio semper operantur. Vultis cor justi quasi cujusdam cantoris gazophylacium audire? *Cantabiles mihi erant justificationes tuae in loco incolatus mei* **(Psal. CXVIII, 54)**. Justificationes Dei dicimus praecepta divina, quae nos justos faciunt, si impleantur. Quae tunc nobis in loco incolatus nostri cantabiles fiunt, quando in hac peregrinatione vitae praesentis ipsa eadem mandata diligimus, et ex desiderio implemus. Hinc est quod idem Psalmista iterum ex cantorum gazophylacio se insinuat, qui ait: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* **(Psal. C, 1)**.

6. Misericordiam Domini, qua peccata laxantur, cantare etiam peccator debet, id est hanc cum gaudio dicere atque sperare. Sed quis ita justus est, ut ejus sibi aeternum judicium ante

mentis oculos revocet, et non contremiscat, ac potius venire ad illud examen tanti judicis praesumat, festinet, et gaudeat? Quisquis ille est, magnus est, quia, jam misericordiam Domini et judicium cantando, omnipotentem Deum, qui ejus peccata misericorditer relaxat, toto mentis affectu diligit, ac propterea ejus judicium non pertimescit. *Charitas* namque *perfecta,* ut Joannes apostolus ait, *foras mittit timorem* **(I Joan. IV, 18)**. Cantat quippe judicium, ad quod intrare non trepidat. Sit ergo mens illius gazophylacium cantorum, ut per divitias misericordiae quas accipit laetus pergat ad judicium, quod jam non pertimescit. Videamus si placet, fratres charissimi, aliud quoque gazophylacium cantoris. Forsitan et ipse judicium cantat. Quid etenim dicit? *Ego enim jam delibor, et tempus meae resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* **(II Tim. IV, 6, seq.)**. Qui laborum suorum conscius, memor certaminis quod egit, memor fidei quam servavit, esse sibi in judicio repositam coronam dicit, eamque sibi in illa die **1421** reddi sperat potius quam donari, profecto patet quia judicium cantat, quod venire desiderat. Unde etiam subdit: *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus* **(Ibid., 8)**. Nemo enim adventum judicis diligit, nisi qui se habere causam in judicio bonam novit. Eorum ergo corda qui adventum judicis diligunt gazophylacia cantorum sunt, quia per praesumptionem gratiae et vitae, per virtutes sancti desiderii cantant justi judicium, quod omnes injusti pertimescunt.

7. Meminit autem charitas vestra quia superiori locutione per portam Orientis fidem, per Aquilonis spem, per Austri autem charitatem diximus designari. Haec itaque gazophylacia inter portam Orientis et Aquilonis esse memorantur, atque ad viam Australem respicere, quia corda sanctorum, inter fidem et spem posita, Australem viam respiciunt, quoniam sanctae charitatis ignibus exardescunt. Ipsa quoque Orientalis porta respicere dicitur ad viam Aquilonis, quia nobis per fidem quidem omnia in baptismate peccata laxantur, sed tamen dum adhuc hic vivimus, etiam post fidem saepius ad peccata declinamus. Et quasi Orientis porta viam Aquilonis respicit, cum vita nostra post perceptam fidem adhuc aliquatenus in frigore culpae torpescit. Quis enim in hac vita valeat post fidem sine culpa vivere, cum Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* **(I Joan. I, 8)**? Cujus verbis Jacobus concordans, ait: *In multis enim offendimus omnes* **(Jac. III, 2)**. Si autem peccata praeterita in fidei perceptione dimissa sunt, et adhuc post fidem ad peccata declinatur, quae nobis erit praesumptio justitiae, quae spes vitae permanentis nisi ut nunc, dum adhuc inter portam Orientis et Aquilonis sumus, ad viam Austri mentis oculos levemus, quatenus, ex sancta charitate ferventes, calor nos amoris liberet a culpa torporis et frigoris? Sint ergo gazophylacia inter portam Orientis et Aquilonis; sed, sicut dictum est, ad Australem viam facies intendant, ut inter hoc, quod nati in fide sumus, et quod post, ad peccata delapsi, de spe pietatis praesumimus, exerceamus nosmetipsos in ardore charitatis, et ibi tendamus oculos cordis, ubi accendimur ignibus amoris.

8. Potest autem per Aquilonis portam gentilitas, per Austri viam Judaea, per Orientis autem portam ipse Dominus designari. Per Aquilonem quippe non immerito gentilitas figuratur, quam ille in torporis frigore possedit qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* **(Isai. XIV, 13)**. Per Australem quoque portam recte Judaea accipitur, in qua spiritales patres coelesti amore ferbuerunt. Quorum unus loquitur, dicens: *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro* **(Psal. CXXV, 4)**. Quae etsi carnalem populum habuit in quo velut Aquilonis frigora portavit, in sanctis tamen suis doctoribus ac Prophetis ad Deum ac proximum calore charitatis arsit. Orientalis autem porta non immerito ipsum signat, de quo scriptum est: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* **(Zach. VI, 12)**. Et de quo Zacharias ait: *Visitavit nos Oriens ex alto* **(Luc. I, 78)**. Sint ergo gazophylacia cantorum ex latere portae Aquilonis, quia non solum **1422** in Judaea fuerunt corda sanctorum spiritaliter accensa, sed etiam in gentilitatis multitudine ad sanctae fidei sacramenta conversae ardent corda sanctorum amore coelestis patriae, inhiant gaudiis aeternis, suspirant ad societatem suorum civium in coelo; sed tamen exempla hujus ardoris, quem dono sancti Spiritus acceperunt, a spiritalibus patribus Synagogae capiunt. Unde ipsa quoque gazophylacia et in Aquilonis latere posita oculos ad viam Australem tendunt. Ecce enim ex gentibus venimus; sed in hoc quod per sancti Spiritus amorem calemus, Judaeae patres aspicimus, qui nobis in suis dictis quo tidie sancti desiderii exempla praebent.

9. An non quasi calore meridiani fervoris ardebat, qui aestuabat, dicens: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad*

Deum vivum; quando veniam et parebo ante faciem Dei **(Psal. XLI, 2, 3)**? Qui rursus ait: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me* **(Psal. C, 2)**. Hoc quoque ardore succensus fuerat qui dicebat: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* **(Luc. II, 29, 30)**. Quia ergo ex gentilitate venimus, sed sanctos Judaeae patres nobis in divini amoris imitatione proponimus, quasi quaedam cantorum gazophylacia ex latere portae quae viam Aquilonis respicit sumus, sed ad viam Austri facies tenemus.

10. Et notandum quod haec cadem gazophylacia inter portam Aquilonis et Orientis esse perhibentur, quia videlicet post incarnationem Dominicam multitudo gentium ad fidem venit, atque inter ipsos fideles populos et sacramenta dominicae incarnationis quam medullitus diligunt, corda amantium surgunt. Habeant ergo sancta gazophylacia, hinc Orientis portam, et inde Aquilonis, quia inter ipsa redemptionis suae mysteria quae sequuntur, et carnales quosdam quos et intra sanctam Ecclesiam tolerant, multi in Deum forti amore proficiunt, virtutibus excrescunt, aeterni judicis adventum quaerunt, et inter ea quae amant atque illa quae tolerant, quasi quaedam gazophylacia, divitias spiritus in mente servant. Nec inter sacramenta quae diligunt et quaedam contraria quae portant deficiunt, quia ad Australem viam facies intendunt. Quid enim patimur quod patres nostri pro amore Domini antea non pertulerunt.

11. Notandum vero quod inter portam Austri et Aquilonis Orientalis porta esse describitur, quia Dominus ac Redemptor noster de Judaea est natus, moxque in fide sua Ecclesiam ex gentibus traxit. Quasi enim inter meridianam portam et

Aquilonis apparuit, quia ex illa venit, et istam in suum servitium convertit. Unde et bene dicitur quod porta eadem Orientalis ad viam respicit Aquilonis, quia natus Dominus Synagogam deseruit, et multitudinem gentium collegit. Notandum quoque est quod dum de gazophylaciis diceretur: *Et facies eorum ad viam Australem,* additum est *unam,* ut videlicet aperte sentiamus quia non alia est via ad coelestem patriam nobis qui ex gentilitate venimus, atque alia illis patribus qui fuerunt **1423** in Judaea; sed haec eadem una via est nobis et illis, quae nos ad aeterna gaudia perducit, quae nobis per Evangelium dicit: *Ego sum via, veritas, et vita* **(Joan. XIV, 6)**. De qua Psalmista ait: *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum* **(Psal. LXVI, 3)**. Quod enim Hebraice Jesus, hoc Latine dicitur salutaris. In terra ergo via cognoscitur, quia Jesus, Deus ante saecula, et homo factus in fine saeculorum, gentibus est manifestatus. Una ergo est via et illis qui ab Austro sunt, et his qui ab Aquilonis parte respiciunt, quia electis Judaeis et gentibus Dominus ac Redemptor noster, expulsa poena formidinis, ad Patrem factus est iter amoris, atque adjutorium perventionis. Sequitur,---VERS. 45:---*Et dixit ad me: Hoc gazophylacium quod respicit viam meridianam, sacerdotum est qui excubant in custodiis templi.* Atque mox subditur:

VERS. 46.---*Porro gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris.*

12. In quibus prophetae verbis prius nobis quaerendum est qui sint majoris ordinis sacerdotes, utrum hi qui in custodiis excubant templi, an qui in ministerio altaris. Sed quia paulo post subditur: *Altare erat ante faciem templi,* aperte ostenditur

illos esse majoris ordinis sacerdotes qui in custodiis templi excubant, quia profecto in altari quod est interius ministrant. Hi autem qui ad altare quod ante faciem templi est excubant tanto inferiores sunt quanto in exterioribus ministrant. Quaerendum ergo nobis est qui sacerdotes sint qui templum custodiunt, et qui ad ministerium altaris excubare perhibentur. Magister gentium, fidelibus scribens, ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* **(I Cor. III, 16)**. Qui itaque sacerdotes sunt qui templum Dei custodiunt, nisi hi qui orando, praedicando, spiritalibus actibus vigilando, sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum immissionibus, a pravorum suasionibus, ab haereticorum erroribus defendunt? An non custos templi fuerat qui, labores suae passionis enumerans, dicit: *In labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate* **(II Cor. XI, 27)**? Atque statim subdit: *Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* **(Ibid., 28)**. Pensate, quaeso, custos templi quanta sollicitudine vigilet. Ecce enim in seipso inaestimabilia patitur, et cordis sui sollicitudinem aliis impartitur. Cujus rogo virtutis est plus de utilitate proximorum quam de sua afflictione cogitare? Quis hoc digne aestimet? quis digne penset? Laborat, luget, esurit, sitit, alget, jejunat, vigilat, et tamen vigilando de Ecclesiarum omnium sollicitudine cogitat. Ecce est solertissimus custos templi in exemplo propositus. Imitetur qui valet. Adversa etenim pro veritate pati, bona proximis impendere, circa animarum sollicitudinem vigilare, ne quis in perfidiam, ne quis in superbiam, ne quis in rapinam, vel immunditiam labatur, exquirere atque compescere, hoc est templum Dei, id est sanctam Ecclesiam, custodire.

13. Sunt autem minoris ordinis sacerdotes, qui ad ministerium altaris excubant, qui videlicet in adjutorium majorum peccata delinquentium subtiliter **1424** investigant, et vitam carnalium corrigunt, atque ad hoc usque perducunt, ut per lamenta poenitentiae quasi incendant carnem in sacrificio, quam prius vivere permiserant in peccato. Non enim hi qui sanctis Ecclesiis praesunt per semetipsos cuncta agere praevalent. Sed dum ipsi causis spiritalibus occupantur, si qua prava ac carnalia perpetrantur, haec aliis discutienda atque corrigenda committunt. Per quos dum carnalis vita corrigitur, et usque ad abstinentiae atque orationis studium a proficientibus pervenitur, quasi in altari jam caro incenditur, ut in conspectu omnipotentis Domini inde sacrificium redoleat, unde prius culpa displicebat.

14. Sed hac in re quaestio oritur, cum superius dictum sit quod gazophylacia ad Australem viam facies haberent, qua ratione nunc dicatur quia gazophylacium quod respicit viam meridianam sacerdotum est qui excubant in custodiis templi, et gazophylacium quod respicit viam Aquilonis sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris. Si enim utraque facies ad Australem viam tendebant, quomodo nunc unum ad meridianam atque aliud ad Aquilonis viam respicere dicitur? Sed in his verbis agnoscimus quod gazophylacium sacerdotum qui excubant in custodiis templi ita positum fuerat, ut solam meridianam viam respiceret; gazophylacium vero sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris ita erat in atrio, ut et ad Australem viam et Aquilonis faciem tenderet, quatenus et cum gazophylacio sacerdotum qui excubant in custodiis templi meridianam viam aspiceret, et tamen sine gazophylacio eorumdem sacerdotum

gazophylacium sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris Aquilonis viam videret. Sed quid est hoc, fratres charissimi? quid in his verbis mysticum possumus intueri, nisi hoc quod secundum ea quae praemissa sunt jam spiritalis auditor intelligit, quia sacerdotes majoris ordinis, qui excubant in custodiis templi, solam meridianam viam respiciunt, quoniam, solis studiis spiritalibus occupati, semper his quae amoris Dei sunt sollicite intendunt; sacerdotes autem minoris ordinis, qui discutiendis peccatis delinquentium praesunt, etiam ad Aquilonis viam oculos reflectunt, ut in mente peccantium quae sint torporis frigora videant, et haec, verbis correptionis usque ad poenitentiae gemitus perducentes, quasi carnes in altari Domini incendant? Respiciant etiam cum magnis sacerdotibus ad meridianam viam, quia, quantum ad semetipsos est, fervent igne charitatis, et succensi sunt flammis amoris Dei. Sed quia peccata delinquentium crebro corrigunt, etiam ad Aquilonis viam oculos reducunt. De utrisque autem sacerdotum ordinibus subditur:

IBID.---*Isti sunt filii Sadoch, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei.*

15. Sadoch Latine dicitur justus. Quis autem justus est, nisi ipse cui dicitur: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* **(Psal. CXVIII, 137)**? Qui vero sunt filii justi, nisi hi de quibus scriptum est: *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* **(Joan. I, 12)**? Levi autem interpretatur assumptus. Quis **1425** autem a Domino assumptus est, nisi populus fidelis, qui per sacramenta fidei est a perfidis segregatus? Omnes ergo qui perseveranter spiritalibus actibus intendunt filii sunt justi. Et de filiis populi

assumpti accedunt ad Dominum ut ministrent ei, quia de ipsis quoque fidelibus eliguntur, qui ad omnipotentis Dei ministerium veniant, et coelestibus studiis pro eruditione populi intendant.

16. Sed nobis solerter inquirendum est qui sunt qui Domino ministrant. Neque enim omnes qui legunt, omnes qui praedicant, omnes qui propria tribuunt, omnes qui per carnis abstinentiam corpus castigant, Domino ministrant. Qui enim legendo atque praedicando, gloriam propriam quaerunt, largiendo quae habent, et corpus in abstinentia macerando, laudes recipere ab hominibus appetunt, sibi, non Domino, ministrant. Quo contra per Psalmistam Dominus dicit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* **(Psal. C, 6)**. Habet enim maculam in via qui in bono opere quod agit terrenae gloriae sibi praemium proponit, qui in hoc mundo recipere mercedem quaerit, et foedat in conspectu Dei speciem boni operis macula pravae intentionis. Fortasse etenim quis disciplinae studio intentus fervet, culpas delinquentium resecat, qui tamen ad haec agenda si non ex omnipotentis Dei amore, sed zelo proprio ducitur, sibi in his, et non Domino, ministrat. Alius, ne asper esse videatur, multa leniter tolerat quae prave perpetrantur. Iste itaque, quia videri pro Domino districtus non vult, per lenitatis suae studium sibi, et non Domino, ministrat. Restat ergo ut sive in verbi ministerio fatigemur, sive indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, sive zelo moveamur, sive per patientiam aliquando leniter prava toleremus, ut nos summopere debeamus intentionem nostram discutere, quatenus omne quod facimus, non nostro, sed Domini zelo faciamus, ne in his quae agimus nobis potius

quam Domino ministremus. Non enim Domino, sed sibi, ministraverant de quibus Paulus dicebat: *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi* **(Philip. II, 21)**. Idem vero Paulus cum electis fratribus non sibi ministrare, sed Domino, et vivendo et moriendo festinabat, dicens: *Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domini sumus* **(Rom. XIV, 7, 8)**. Sibi enim sancti nec vivunt, nec moriuntur. Sibi non vivunt, quia per omne quod agunt, ad lucra spiritalia anhelant, atque orando, praedicando, sanctis operibus insistendo, coelestis patriae cives multiplicare desiderant. Sibi minime moriuntur, quia in conspectu hominum Deum de sua morte glorificant, ad quem pervenire etiam moriendo festinant. Pensemus itaque in morte sanctorum non quantum eorum opprobrium ab infidelibus fuit, sed quanta laus Domini in corde fidelium excrevit. Qui si suam laudem quaererent, profecto pati tot opprobria in morte timuissent. Sed nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur, quia suam gloriam nec vivendo, nec moriendo quaesierunt. Videamus si ipse primus pastor Ecclesiae, qui sibi non vixit, sibi sit mortuus. Joannes ejus socius requiratur, et ex verbis Domini **1426** de morte pastoris ejusdem dicat: *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum* **(Joan. XXI, 19)**. Non ergo sibi est mortuus qui Deum clarificavit in morte. Discamus igitur, fratres mei, intentionem nostram in omne quod agimus sollicita inquisitione discutere, et nostra non quaerere, si omnipotenti Deo volumus ministrare. Sed quia ex fideli populo filios Sadoch ad omnipotentis Dei ministerium diximus assumi, nunquid in eodem populo non sunt multi qui inveniantur in mandatis Dei vivere perfecti? Sunt omnino; nam subditur:

VERS. 47.---*Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum.*

17. Saepe jam per longitudinem longanimitatem spei, per latitudinem vero charitatis amplitudinem diximus signari. Centenarius autem numerus in quo denarius decies ducitur, quod summam perfectionis signet, plene superius dictum est **(Hom. 6, olim 18, num. 16)**. Quid est igitur atrium spiritalis aedificii, nisi amplitudo fidelium populorum? Ipsa autem longanimitas spei et latitudo charitatis vacua in cordibus fidelium non est, nam per fidem quidquid valet operatur. Unde per Paulum dicitur: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur* **(Gal. V, 6)**. Si ergo in vita fidelium juxta quemdam modum per singulos perfecta est longanimitas spei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei, perfectum studium operationis, atrium templi per quadrum centum cubitos habet. In mensura autem quadri non aliud latus majus est, atque aliud minus, sed cuncta simul quatuor latera aequali spatio tenduntur, quia et ipsas easdem virtutes, quas diximus, fidem scilicet, spem, charitatem atque operationem, quandiu in hac vita vivimus, aequales sibi esse apud nosmetipsos invenimus. Idcirco autem major spe et fide charitas dicitur, quia postquam ad auctoris nostri speciem pervenitur, spes quidem et fides transit, sed charitas permanet. Nam nunc et quantum credimus, tantum amamus; et quantum amamus, tantum de spe praesumimus. De fide quoque et operatione Joannes apostolus fatetur, dicens: *Qui se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* **(I Joan. II, 4)**. Notitia quippe Dei ad fidem pertinet, mandatorum custodia ad operationem. Cum ergo

virtus, tempus et locus operandi suppetit, tantum quis operatur, quantum Deum noverit; et tantum se nosse Deum indicat, quantum pro Deo bona operatur. Metiantur ergo fidelis populi virtutes in quadrum, quia unusquisque qui in activae vitae exercitio versatur tantum credit quantum sperat, et amat, et operatur; tantum sperat quantum credit, operatur et amat; tantum amat quantum credit, sperat et operatur; tantum operatur quantum credit, amat et sperat. Quia itaque in sanctae Ecclesiae populo multi sunt et robusti per fidem, et longanimes per spem, et ampli per charitatem, et efficaces per operationem, atrium templi centum cubitis in quadro mensuratur.

18. Nam ut aliquid quoque de eorum virtutibus loquamur, **1427** saepe ex eis quosdam videmus prudentes per intelligentiam, fortes in adversitate, justos in operatione, temperantes a voluptatibus, atque in omni zelo discretionis se mensura moderantes. Qui dum prudentiam, fortitudinem, justitiam, atque temperantiam, vel, sicut eas enumerare quibusdam placet, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, atque justitiam tenent, mensuram spiritalis atrii in quadro habent. Ecce enim ipsae virtutes quas habere bonos ac fideles diximus ita in quadro sunt, ut una aliam non excedat. Magna quippe est prudentia; sed si minus est a voluptatibus temperans, minus in periculis fortis, minus in operationibus justa, profecto minus est prudens. Magna est temperantia; sed si minus intelligit unde se temperet, si adversa sustinere per fortitudinem minus valet, atque in timore animum dejicit, si per praecipitationem suam aliquando ad injustitiae opera prorumpit, minus est temperans. Magna est fortitudo; sed si minus intelligit quae bona custodiat, quibus malis resistat, si

minus a voluptatis appetitu se temperat, sed vincitur delectatione, si justitiae opera minus tenet, atque aliquando in injustitiae dominatione superatur, minus est fortis. Magna est justitia; sed si minus quam debet inter justa et injusta opera discernit, si minus cor a mundi delectatione temperat, si minus se contra adversa confortat, minus est justa. Mensuretur ergo perfectorum fidelium vita per quadrum, et tantum habeat spiritalis atrii latus unum, quantum latera singula, quia unusquisque tantum prudens est quantum temperans, fortis et justus; tantum temperans quantum prudens, fortis et justus; tantum fortis quantum prudens, temperans et justus; tantum justus quantum prudens, temperans et fortis fuerit. Sunt tamen inter eos plurimi qui adhuc carnaliter vivunt. Qui et si fortasse litteras ignorant, et praecepta Dei legere non valent, certe in multorum fidelium conversatione bona quae imitentur vident. Ecce in Ecclesia voces sancti Evangelii atque apostolorum sonant, ecce exempla bene viventium quotidie omnium oculis opponuntur. Nec in excusatione dicere poterunt: Non vidimus quod imitari deberemus. Unde et subditur:

IBID.---*Et altare ante faciem templi.*

19. Quid est templum, nisi fidelis populus? sicut per Paulum apostolum discipulis dicitur: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* **(I Cor. III, 17)**. Et quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? Qui peccatorum suorum memores lacrymis maculas lavant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se mundi hujus actionibus miscent, quae habent indigentibus tribuunt, et habere quae non habent non concupiscunt. Recte igitur horum cor altare Dei dicitur, ubi ex moerore compunctionis ignis ardet, et caro consumitur. Et nunquid non tales, fratres charissimi, quotidie in sancto hoc fideli populo

quasi in templi atrio videmus? Nunquid non eorum vitam nobis ad exemplum propositam indesinenter aspicimus? Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctae Ecclesiae conspectu sunt positi, qui, aeterni judicii memores, semetipsos quotidie **1428** Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant. Qui, ut praedictum est, corpora castigant, quatenus hoc quod per Magistrum gentium dicitur impleant: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* **(Rom. XII, 1)**. Hostia quippe occiditur ut offeratur. Sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum. Quod et hostia dicitur, et vivens, quia vivit in virtutibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum; vivens autem, quia cuncta quae praevalet bona operatur.

20. Sed quia sub altaris nomine de compunctionis flamma sermo se intulit, necessarium puto quae sit diversitas ejusdem compunctionis ostendere. Alia quippe compunctio est quae per timorem nascitur, alia quae per amorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud praemia desiderare. Unde etiam in tabernaculo per legem duo altaria fieri jubentur, unum videlicet exterius, aliud vero interius; unum in atrio, aliud ante arcam; unum quod aere coopertum est, aliud quod auro vestitur. Atque in altari aereo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata **(Exod. XXXIX, 37, 38; XL, 5, seq. etc.)**. Quid est hoc, fratres charissimi, quod foris concremantur carnes, intus aromata, nisi hoc quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera, quia alii adhuc per timorem plangunt, alii vero jam se per amorem in lamentis afficiunt? Multi namque, peccatorum suorum memores, dum supplicia aeterna pertimescunt, quotidianis se

lacrymis affligunt. Plangunt mala quae fecerunt, et incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur. Quid isti nisi altare sunt aereum in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur?

21. Alii vero, a carnalibus vitiis liberi, aut longis jam fletibus securi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, coelestis patriae praemia cordis oculis proponunt, supernis jam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus, longitudo peregrinationis suae. Regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant **(Isai. XXXIII, 17)**. Quid isti nisi altare sunt aureum, in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent? Bene autem de eodem altari dicitur quod ante velum arcae sit positum in sancta sanctorum. Arca quippe testamenti ipse nobis factus est de quo scriptum esse novimus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* **(Colos. II, 3)**. Arca intra velum est Redemptor noster in coelo. Altare vero aureum in quo thymiama incenditur ante velum sanctorum corda, quae cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent quem adhuc revelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe et altare velum est, quia hoc quod nos adhuc a visione Dei separat corruptionis nostrae obstaculum remotum non est. Sed quousque ante velum sumus oportet ut quasi thymiamatis incensum flamma amoris ardeamus. Per compunctionis autem lacrymas nil terrenum, nil transitorium quaerere debemus. Solus ipse nobis sufficiat qui fecit omnia. Transcendamus per desiderium omnia, ut mentem colligamus in unum. **1429** Non jam timore poenarum, non memoria

vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.

22. Ista electorum oratio jam prospiciebatur, cum in sponsae laude diceretur: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii* **(Cant. III, 6)**? Sancta quippe electorum Ecclesia cum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum quod deserit ascendit. Qualiter vero ascendat adjungit: *Sicut virgula fumi ex aromatibus* **(Ibid.)**. Fumus de incenso nascitur, sicut per Psalmistam dicitur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* **(Psal. CXL, 2)**. Fumus excutere lacrymas solet. Itaque fumus est ex aromatibus, compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris. Quae tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola coelestia postulat, sic recta progreditur, ut ad terrena atque temporalia petenda minime reflectatur. Et notandum quod non virga, sed virgula nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantae subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere, qui illuminatus meruit habere.

23. Bene autem dicitur, *myrrhae et thuris.* Thus enim ex lege Domino in sacrificio incenditur. Per myrrham vero corpora mortua condiuntur, ne a vermibus corrumpantur. Myrrhae ergo et thuris sacrificium offerunt qui et carnem afficiunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent. Unde et illic subditur: *Et universi pulveris pigmentarii.* Pulvis est pigmentarii virtus bene operantis. Et notandum quod virtutes bene operantium non pigmenta, sed pulveres dicuntur. Cum enim **1430** quaelibet

bona agimus, pigmenta offerimus. Cum vero ipsa etiam bona quae agimus retractamus, et, ne quid in his sinistrum sit, judicio retractationis attendimus, quasi ex pigmentis pulverem facimus, ut orationem nostram Domino per discretionem et amorem subtilius incendamus.

24. Ecce haec, ut, Deo largiente, potuimus, coram vobis, fratres charissimi, rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessa vero, quia, sicut omnes cernitis, nostrae tribulationes excreverunt: undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii, detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interempti nuntiantur **(Joan. Diac., l. IV, c. 67)**. Jam cogor linguam ab expositione retinere, quia taedet animam meam vitae meae **(Job. X, 1)**. Jam nullus a me sacri eloquii studium requirat, quia versa in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium **(Ibid., XXX, 31)**. Jam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat, quia dormitavit anima mea prae taedio **(Psal. CXVIII, 28)**. Jam minus lectio animo dulcis est, quia oblitus sum manducare panem meum a voce gemitus mei **(Psal. CI, 5)**. Cui autem vivere non licet, de Scripturae sacrae sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amare bibere, quando possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi ut inter flagella quae ex nostris iniquitatibus patimur cum lacrymis gratias agamus? Ipse etenim qui nos creavit etiam pater nobis factus est per adoptionis spiritum quem dedit. Et aliquando filios pane nutrit, aliquando flagello corrigit, quia per dolores et munera ad haereditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti Domino nostro Jesu

Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.